

ALEXII SYMMACHI MAZOGHII

*Metropolitanae Ecclesiae Neapolit. Canonici ,
ac Regii Sacrae Scripturae Interpretis*

O P V S C V L A

Quibus Orationes , Dedicaciones , Epistolae ,
Inscriptiones , Carmina , ac Dia-
tribae continentur .

T O M V S S E C V N D V S .



N E A P O L I M D C C L X X V .

A P V D R A Y M V N D O S
V T R I V S Q V E P O T E S T A T I S P E R M I S S V .

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
1100 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
U.S.A.
1967

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1100 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO
1100 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
U.S.A.

1967

LECTORI BENEVOLO

CAJETANUS MIGLIORE.



*Ntequam legendo huic tomo oculos admo-
veas, unum & alterum est, de quo moni-
tum te volo, amice Lector. Habes hic
Mazochii Carmina, suas in classes, pro
metri genere, distributa; quorum dignita-
tem per te melius cognoscere poteris, quam ego his lit-
teris significare. Sed in iis colligendis quantum vigi-
liae, ac laboris impenderim, dicere supersedeo; ne am-
bitioso verborum ambitu, mangonum instar, meis merci-
bus pretium conciliare velle videar. Sequuntur Disserta-
tiones, quarum agmen agunt Tyrrhenicae, sive Corto-
nenses, in Etruscae suae Academiae gratiam conscriptae,
quae ceteras aetate praecedunt. Sed de his nonnulla te sci-
re oportet.*

*Tyrrhenicarum nomine venit Dissertatio De Tyr-
rhenorum origine, cui decem Diatribas e vestigio sub-
jecit Mazochius. Nam si quid in investiganda Tuscorum
originatione, longiorem, quam pro ejus Dissertationis
fnibus, commentationem requireret, id in suas seorsum
Diatribas, quasi in prolixiores adnotationes, conjicien-
dum putavit. Nisi quod non una fuit earum vicissitudo.
Primaria enim Dissertatione ad umbilicum perducta, ce-
teris conscribendis Diatribis, non eo statim ordine, qua
earum conspectum jam designaverat, manus admovit; sed
Primam, Secundam, Tertiam, Sextam, ac Septimam
ante alias absolvit; reliquas deinceps scripturus, & qui-
dem*

dem Latine omnes, ut ejus erat mos.

Ecce autem dum id Cortonae rescitum, litterae ab Academia ei redditae sunt, quibus monebant, perpetuam esse Etruscae Societatis legem, ut Diatribae Italico omnes sermone in vulgus prodirent. Haud mora. Amicis datum ab Mazochio negotium, ut Latinas Italice redderent. Sed in posterum ne actum ageretur, quae supererant Diatribae, Quartam, Quintam, ac Decimam Italice Mazochius ipse ex Academiae praescripto exaravit. Has, inquam, tres tantum Diatribas: Octavam enim, ac Nonam, quae in longe spissius volumen excrevissent, in aliud tempus rejecit. Ita anno 1741. Romae apud Palearinos Tomo III. Cortonensium prodierunt Mazochianae Tyrrhenicae; ac Dissertatio quidem primaria cum prioribus illis e Latino in Italum sermonem versa; tres vero posteriores Italice auctores a Mazochio scriptae.

Ab eo tempore inantea in more semper habuit Mazochius, quidquid de Tyrrhenicis Originibus ei in mentem veniret, sive aliud agentis inter scribendum sese offerret, editarum Cortonensium margini adscribere, aut in obviis quibusque schedis temere adnotare, inque loculos conjicere; de quo quidem Mazochius ipse rem Litteratorum publicam monuit ad Tabb. Heracleenses p. 511. Praeter autem illa nostra Tyrrhenica, plura semper eo pertinentia scripsi, quae in forulis habeo. Eo pacto, labentibus annis, tanta editis Tyrrhenicis facta est domi inedita rerum accessio, ut quae Romae prodierant, Tyrrhenicarum specimen quoddam auctor ipse in Tabb. Heracl. dicat; & alibi Tyrrhenica Conlectanea duplo auctiora in schedis habere fatetur; ut praeteream ineditas prorsus Octavam, ac Nonam Diatribam, cui statim

tim manus admovit, ac sexcentis e re nata adnotationibus deinceps auxit. Ceterum anno 1762. quum Gerardi Joannis Vossii Etymologicon Latinae linguae Neapoli recuderetur, binas hasce Diatribas editori tradidit Mazocchius, ut suis quasque locis Orientales appellativorum nominum etymologias insereret; nisi quod, quae per rerum classes digesta erant, in alphabeticam seriem, ut Lexico serviret, retulit, nec sine etymorum auctario, quae, fervente editionis negotio, de novo cudit.

Habes jam Tyrrhenicarum, sive Cortonensium historiam, ac vicissitudines. Nunc quid in illis edendis praestiterim, accipe. Jam primum omnium minutas quasque chartulas, quae ad rem facerent, prae oculis habere oportuit; quarum quidem nonnullas ad oram paginae in MSS. glutino ille junxerat; deciduas vero in forulis excutere, ac suis quasque locis inserere opus fuit; in quo quidem quantum laboris taedium vorandum mihi fuerit, is unus intelliget, qui Mazochianas schedas suis oculis videat, praeterea nemo. Tantam denique ac tam impeditam rerum farraginem digerere, ac diligentia, quam fieri poterat maxima, exscribere oportuit, ut commode typographo traderetur.

Restat, ut de Quarta, Quinta, ac Decima te moneam, quas ille Italice, ut supra dixi, scripsit; haec vero, ut reliquae, latino sermone procedunt; de quibus certe tibi mihi dubitandum non fuit, ecquid consilii iniviam. Ut enim latina inter Opuscula, uno ore current omnia, exigua haec, si cum reliquis Tyrrhenicis conferas, Diatriharum pars Latine reddenda mihi fuit; cujus rei auctores etiam habui Viros gravissimos, quibuscum de eo negotio communicavi. In eo vero perficiendo id curavi,
quam

quam qui maxime, tum ut stilus, quoad fieri poterat, Mazochiano accederet; tum vero, quod magis intereret, ne Mazochianae sententiae apex unus in interpretatione excideret. Denique ne quid indictum relinquam, Nonam, ac Decimam Diatribam in Tertii Tomi initium rejeci, ne alter hic plus aequo crassior evaderet. Atque haec de Tyrrhenicis.

Orandus heic in fine restas, aequissime Lector, ne meam tarditatem accuses, quod Tomus hic quarto demum post anno in vulgus emittatur. Vix enim prima ejus folia Neapolitana prela exercebant, quum praeter expectationem Romam hac commigrandi oblata est occasio, ut Excellentissimo e Cassanensium Ducibus Ignatio Serrae & generis amplitudine, & morum suavitate commendatissimo (quem nuper Pius VI. Pontifex Optimus, Felix, Augustus Ferrariensis Legationis Vicarium renuntiavit) in gerendis Romanae Curiae Magistratibus auditor adessem. Atque ecce statim in suspenso omnia. Interim dum urbis novitati, meique officii partibus satisfacio, hisce literarum amoenitatibus tantisper supersedendum fuit. Accedebant aliae semper ex aliis morandi causae, ac praesertim locorum distantia, qua Romae praesens Neapolitanis typis adesse cogebat; ut alter hic Tomus diligentia, & accuratione primo non cederet. Denique tarditatem ipsam cum foenore compensatam volui. Nam Romae degenti complusculas Mazochii ad Carolum Majellum literas, ab hujus heredibus corradere mihi contigit, quas huic Epistolae subjiciendas curavi. Haec scire te volebam; ac si tuis me unice commodis inhiare vides, tu contra me ama, & vale. Datum Romae Kal. Octobr. C1818CCLXXV.

EPISTOLARUM APPENDIX

EPISTOLA I.

CAROLO MAJELLO

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

A Estate jam proxime exacta cum te in amplissimum istud
 Canoniorum collegium alleclum esse, rumor ipse ad
 me pertulisset, incredibiliter equidem sum delectatus. Ad te
 vero nullas propterea literas dedi, quibus eum tibi honorem
 gratularer, quod putarem nihil te aeque gravate ferre, quam
 putidas istas gratulationes. Nunc vero Domini Natali jam
 appetente, eos tibi dies divinis charismatibus cumulalissimos
 esse vehementer cupio, quorum utinam aliqua mihi etiam
 particula obtingat. Ob novam Archiepiscopi nostri dignitatem
 cur gaudeam multae causae sunt, sed ea potissimum, quod
 spes est, eum brevi reversurum. Utinam nostris votis an-
 nuat Deus. Eruditissimo etiam Lamae nostro, quem salute
 plurima impertias velim, perhonorificum munus magnopere
 gratulor. Jamdiu a te percontari volueram, quibus rationum
 momentis conficiatur id, quod plurimi asseverant, mundum
 XXIII. die Octobris fuisse conditum. Nam qui id affirmant,
 nihil de ejus rei probatione cogitare comperi. Credo ab Huf-
 serio, Petavio de doctrina temporum, aut Lancillotto rem
 fortasse pertractari. Sed eorum librorum mihi copia non est.
 Rogo a te, uti tantulae schedulae eam rem brevissime com-

b

mit-

VIII

mittas, eamque in Epistolas ad Januarium Fratrem includas. Aut, si tibi otium non est, a clarissimo Lama id fieri jubas, aut certe librum indices, quo ea res pertractetur. Mihi enim usui futura est ejus rei cognitio. Satis autem mirari non possum, quod XXIII. die potius, quam XXIV. aut XXII. Octobris mundum conditum isti pronuntient. Rogo ut valeas, quo mihi gratius facere nihil potes. Neapoli XIII. Kal. Jan. 1715.

E P I S T O L A II.

CAROLO MAJELLO

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

PRaefecturam istam litterarum bono tibi delatam non possum non isti Civitati summo opere gratulari. Illud doleo novam inde negotiorum segetem oboriri, quae te ab usu nostro familiaritateque sejungant. Sed rogo a te pro eo quanti me amas, ut non antea mihi vale dicas, quam, cum quidem erit otium, illi epistolae respondeas, quam ante Christi Domini Natalem ad te inscripseram. Multa enim interrogasse me memini, primum an sermo aliquis mihi principio habendus esset, qui scripturae προλεγόμενα persequeretur; tum an Actorum librum potissimum interpreterer, quo Stephani primi Capuae patroni passio describeretur &c. tum methodum mihi traderes &c. tu velim ad ea respondeas. Thomas mihi praecepit, ut eadem tibi, quae ego, suo nomine gratularer, tibi quoque ejus verbis salutem dicerem. Vale.

EPI-

E P I S T O L A III.

IX

C A R O L O M A J E L L O

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

Gratias tibi ago maximas pro lepidissimis litteris iis, quas proxime accepi, quas hominem *εαυτοῦ τιμωροῦμενον* mirifice exhilararunt: quid quaeris? Dici non potest, quantopere eas cum legerem maxillae mihi periclitarentur. Ego vero utinam amissum caput aliquando invenissem. Nisi quod hyeme aliquando mihi melius esse solet. Verum quoniam futilis erat ea quaestio, hanc certe, quam jamdiu etiam tibi proponere statueram, minime reprehendendam putes. Primum illud quaero, sitne non modo sana, verum etiam ad praxim redigenda doctrina Antonii Arnaldi in libro de frequenti communione. Tum illud, an regulae illae, ad quas ex hujus auctoris sententia communionum frequentia exigenda est, non solum laicis, verum etiam presbyteris accommodatae sint. Debentne, inquam, aut omnino possunt Presbyteri ob eam solum rationem, quod Sacerdotio initiati sunt, saepius offerre, quam laicis secundum eas regulas, quas Arnaldus praescribit, communicare permetteretur? Omnino, hunc mihi evellas scrupulum velim, possitne quotidie Dominicum celebrare is, qui si laicus esset, vix octavo quoque die ad sacram mensam accedere posset? Consultiusne putas Sacerdotibus sic comparatis ex intervallo cessare ad purgandos animos, ac reverentiam concipiendam, an quotidie prorsus, & quidem sine operae pretio sacrificandum? Tum ea cessatio quomodo cum frequentia est temperanda? amplectendane sunt eorum Confessariorum consilia, qui prorsus aliis nituntur rationibus, quam quae a doctissimo Arnaldo producantur, etsi ceteroqui sint viri probi? Verum de his satis. Tu, cum erit otium, totam judicii, necnon consilii tui rationem perscribes, ne me posthac vanis quaestionibus implicitum crimineris. Vale. Dat. Capuae. III. Non. Febr. 1716.

E P I S T O L A IV.

CAROLO MAJELLO

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

SI Bernardini Petrangeli opera uti vis, de cuius summo ingenio, doctrina, probitate, prudentia, gravitate nuperime ad te scripsi, omnino a te rogo, ut interea cum nostro Archiepiscopo id agas, ut id eo annuente fiat; ut cum IV. Kal. me tum de tua, tum de Cardinalis voluntate feceris certiore, statim tuis litteris acceptis, Bernardinus, ubi se celerime comparaverit, proficisci possit. Haec enim via expeditior. Nam si id a me agendum erit, dum ego ad Archiepiscopum scripsero, dum is responderit, dum Bernardinus se se ad iter paraverit, interea Kalendae ipsae quintiles facile evadent. Incredibile vero dictu est, quanta Petrangelus veniendi cupiditate sit incensus. Vale. IX. Kal. Majas 1717.

E P I S T O L A V.

CAROLO MAJELLO

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

UNas posthac litteras, censeo, scribas, ne tibi *congregatione nostra* interdicatur; cum praesertim nullus sit Capuae Veteri suus Tabellarius; nam ejus incolae ad Novam Capuam mittunt, qui litteras ex eo Tabellario repetant. Ceterum illud Capua habet incommodi, quod non, sicut Neapoli, intra hebdomadam unam, scribendi atque accipiendi litteras sit potestas. Nam *staffetta* quam vocant (neque enim quo nomine eam appellem, succurrit) eadem, qua Sabbati Epistolae, ad nos feria IV. perfertur; quae enim eo tabella-

lario afferuntur Epistolae, Neapolim primum omnes, tum
suae Capuam redeunt. Quo minus pertimescendum tibi est,
ne superiores illae tuae litterae, quibus praeceptorem te iam
dimisisse nunciabas, interciderint. Ego vero jam superiore ta-
bellario de cujusdam Bernardini Petrangelii Capuani hominis in-
genio, eruditione, pietate, prudentia, ac summa denique isthuc
veniendo voluntate satis plura scripsi. Hunc si proficisci te velle
(quod tamen de Cardinalis nostri sententia fiat) significaveris,
dabo operam, ut is iussis tuis celeriter obtemperet. Ceterum
litteras tuas fratri meo perhonorificas ad eum Neapolim trans-
mittendas curavi. Ego etiam, uti spero, ad VII. Id. Jun.
Neapolim contendam, totaque ea hebdomada ibi commora-
bor. Quare si quid habes, quod ad me des, potes id in Gi-
ptii, aut Januarii Fratris, si modo ii Neapoli degunt, Epi-
stolam includere, ne tabellarium adire cogar. Potes etiam,
si forte res esset majoris alicujus momenti, quam scriberes,
binas, congregationis tamen permisso, litteras mittere. Nea-
polim unas, Capuam alteras. Dominico Fratris filio salutem
plurimam meis verbis nunciabis. Vale III. Kal. Jun. 1717.

E P I S T O L A VI.

CAROLO MAJELLO

Aleuius Symmachus Mazochius S.P.D.

Superioribus diebus cum ad nos esset allatum, de secundis
admurmurationibus, & quam maximis faventium studiis,
quibus Orationem tuam prosecuti fuerant; tum tibi, ac si
praesens esses, in gratulationibus habendis; tum Deo, ac B.
Virgini agendis gratias versati sumus; quod apud omnes, quos
adis, tam bene semper audias; nec non aggrediaris ullam,
in qua vel ingenii, vel virtutis praeclara non prae te feras
argumenta. Id quod innatae animi tui demissionis merces est,
& praemium, qua omnia, quibus affluis, accepta Deo refer-
re, sollemnne semper habuisti. Me miserum! quid causae fue-
rit

rit, nunc primum intelligo, quamobrem in litteris simul, ac pietate hebetudinem quamdam, laxitatem, & fastidium expertus sim. Inter octodialia festa S. Thomae ad ejus sacram celebritatem cogito, ibique rem divinam facturus pro nostra utriusque salute. Tu vero istinc manum adhibe, ut Deus approbet, votaue nostra fortunet (1). Ne epistolarum multitudine te obruamus, litteris hisce pauca nonnulla subdam, cumque eas latino sermone conscriptas offenderim stimulos mihi quodammodo addiderunt, ut latine etiam si quae scribenda essent, scriberem; licet maximopere verear, ne frequentis philosophorum consuetudine, praesertim vero barbarorum, eorum gregi annumeratus sim. Sed quacumque demum ratione id fiet, magistro tamen meo scribere non erubescam. Itaque novam dignitatis accessionem tibi vehementissime gratulor, majus aliquid de te quamprimum audire desiderans. Ceterum quantum in me erit, assidue enixeque Deum deprecabor pro incolumitate tua, & ut novis semper honorum incrementis augearis. Ex binis hisce litteris, alteras Lauretum perferendas curabis. Vale.

E P I S T O L A VII.

CAROLO MAJELLO

Aleuius Symmachus Mazochius S. P. D.

JAnuarius Frater cum litteras, quas nuper ad eum dederas, ad me transmisisset, simul etiam iussit, quaecumque te nosse aut tua, aut Petrangelii interesset, me ipsum ad te perscribere. Ad Petrangelum igitur quod attinet, is nihil se magis exoptare prae se fert, quam ad te proficisci. Verum cum totam consilii sui rationem Zoccio Episcopo Venafrano, nostroque interim Vicario, a quo is intime diligitur, aperuisset, Zoccius Cardinalem consulendum esse statuit, cum tur-

(1) Quae sequitur Epistolae Pars, intelliges scriptis Mazochii litteris ab si res, ac stilum perpendas, facile aliena manu accessisse.

turpe esse diceret, quidquam ejus injussu agere, ei praesertim, cui permagnos apud eundem Cardinalem aditus Zoccus ipse commendatione sua patefecisset. Cras fortasse, aut altera hebdomada Archiepiscopi responsa perferentur, ad quem Zoccus Petrangeli consilia, ac vota proximo, an potius superiore tabellario, perscripsit. Ego vero quaecumque constituta fuerint, statim significabo. Dominico Fratris filio, quem tantopere diligo, ut in eo amando tibi uni concedam, praeterea nemini, salutem plurimam meis verbis nunciabis. Vale. Capuae Kal. Novembris. 1718.

E P I S T O L A VIII.

CAROLO MAJELLO

Alexius Symmachus Mazochius S. P. D.

EX litteris, quas a Carolo Fratre meo accepi, plane intelligo, omnem jam scrupulum ex ejus animo esse avulsam; hunc vero solum ei insedisse, nempe vereri se hoc iam aestivo tempore transiberino aëri se committere. Quod si, postquam se fregerit calor, esset proficiscendum, nihil te libentius esse facturum. Quem animi sui timorem si abstergere poterō, cum ejus videndi mihi copia fuerit, quod spero hodie, perendie ad te perscribam. Sin minus, id ipsum declarabo. Quamquam vereor, ne te jam litteris obruerim. Mihi tamen hoc tempus, quo te saepe litteris compellare debuerim, oblatum sane gaudeo. Cavendum vero tibi ab unius negotii procuratore, quod ajunt, judico. Etsi non adeo otiosum me nunc esse oportet, quod aditus ad hoc Seminarium mihi jam iterum patuit. Ita me vir optimus Decanus Soccius compulit. Vale Dat. Capuae postrid. Id. Maii ipso Pentecostes die, quo uberrimum tibi, & Fratris Filio Spiritus Sancti imbrem ex animo cupio, & enixe precabor.

EPI.

E P I S T O L A IX.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO CAROLO
MAJELLO ARCHIEPISCOPO EMISSENO, BE-
NEDICTI XIII. AB EPISTOLIS AD VIROS
PRINCIPES.

Alenius Symmachus Maxochius S. P. D.

Cum tot sustineas ac tanta negotia solus in pu-
blica commoda peccem, si longo sermone (imo navanda
per te opera) morer tua tempora . Quominus erit mihi igno-
scendum, quod sciens prudensque id scelus admitto, quod
in aliis, atque adeo Fratre tuo Clarissimo Viro tecum una
tantopere egomet detestabar, cum me proxime contubernio,
ac familiaritati tuae adhibuisses . Neque vero hujus tan-
tae meae confidentiae excusationem aliam obtendere possum,
quam eam unam, quod non tam mea causa tibi negotium
faceffitur, quam nostri Collegii, quod tibi pro ea benevo-
lencia, qua Ecclesiae ordines complecti soles, cordi esse ve-
hementer confido . De Ecclesiae nostrae psalmodia actum sci-
to, nisi postulationi nostrae Rom. Pontifex morem gesserit.
Neque aliam certe ob causam octo alios ministros communi-
bus collegii stipendiis alendos Canonici statuerunt, quam ut
collapsae psalmodiae, concentuique sacro consultum irent .
Quae ministrorum accessio frustra, mihi crede, instituitur,
nisi Canonicis ipsis per se, quos maxime idoneos judicave-
rint, designandi sit potestas, quae est nostrae postulationis
summa, qua potestate nihil de Romanae Curiae juribus at-
que emolumentis decerpitur ; cum quos Canonici designave-
rint, eos non nisi Apostolicis Diplommatibus confirmari secun-
dum tramites juris oporteat . Una sane vocula nobis opitu-
lari potes : pauca modo verba cum Pontifice commutaveris,
& Ecclesiae nostrae rationibus optime prospexeris, & maxi-
mo opere Jesum Christum ejus sponsum promerere . Adde-
rem praeterea & me, & Collegas omnes tibi devinctissimos
ha,

habiturum, si res tanti visa esset. Illud quidem certe recipimus, pro tuis commodis tum temporariis tum aeternis affiduis Deum precibus exoratuos. Postremum illud est, ut tibi velim persuadeas, me in hoc negotio ita frontem perfricuisse, ut tamen me ad repulsam moderate ferendam, si quidem tibi ea res incommodaverit, probe comparaverim: imo repulsam ipsam, quae ab humanitate tua profecta fuerit, beneficii loco habiturum. Vale. IX. Kal. Decembres 1723.

E P I S T O L A X.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO CAROLO
MAJELLO EMISSENORVM ARCHIEPISCOPO

Alexius Symmachus Mazzochius S. P. D.

CApuenfis Decanatus dignitatem, quam proxime ex A. D. VI. Kal. Decemb. Deo miserante, ac bonis gratulantibus inii, tibi uni, Pater, acceptam refero; idque multis de causis. Primum quod simul atque in tuam clientelam, fidem, disciplinam perrepsi, dignum existimaveris, cui in Seminario Neapolitano, tuo quondam regno, linguas docendas traderes; quo ex Seminario cum, tamquam ex Equo Trojano, ad obeunda Ecclesiae ministeria viri summi prodirent, eo praejudicio uso mihi quoque, quo jure quaque injuria, primus ad Capuenfis Ecclesiae honores aditus patuit. Deinde quod saepenumero hanc, cui vicesimum hunc jam & alterum annum sum adscriptus, militiam detrectanteram (quis enim paullo humanior procellas istas tribunitiis turbulentiores non refugeret? ex quibus vix est, ut aliquando emergamus) vetueris statarium militem assignatum sibi locum deferere. Postremo (quid enim attinet singula, quae sunt innumerabilia, recensere?) tanta nuper dignitate nec cogitanti oblata, unus ex omnibus & mihi auctor fueris ne recusarem, & Eminentissimo Cardinali Comiti Sacrarum largitionum, ne abnueret. Quocirca sim sane ingratus, nisi

nisi quascumque possem gratias agerem, majores me habere profiterer: idque tum meo nomine, tum me impellentiam (aut enim fallit memoria, aut pertinet id verbum ad militares promotiones) me, inquam, impellentium Neapolis atque Cuccari. Habes jam clientium trigam tibi mirifice obstrictorum, qui pro se quisque in te colendo decertabunt, sed non ut quisquam auferat mihi palmam. Illud certe non dubito, quin quibuscumque rebus poteris, poteris autem universis, novam hanc meam dignitatem tam alienis difficilibusque temporibus apud Deum, hominesque tuearis: in quo utinam parem gratiam non dico apud homines, sed omnino apud Deum referre possim: at studio certe ac voluntate non deerō. Vale III. Kal. Decembris 1732.

E P I S T O L A XI.

ALEXIO SYMMACHO MAZUCHIO

Carolus Majellus S. P. D.

A Ccepi litteras illas tuas sane operosissimas immensique laboris, quas in diuturno secessu inchoatas, & Neapoli tandem perfectas ad me misisti. Vicem tuam certe doleo ut cum maxime, nec ignarus mali, quamquam succurrere non possum, miserari saltem debeo. Quod desiderare colloquia nostra desideras, jucundissimum mihi est; atque utinam te aliquando videre liceret, & amplecti. Gratulor vehementer, quod cum Lama nostro studiorum, ac studiosorum amantissimo junxeris amicitiam. Illum de valetudine rebusque tuis saepissime percontabor. Haec ad te propere scripta malui, quam in alium tabellarium differre officium. Vale, ac Natalitia Christi gaudia Deus tibi cumulatissime largiatur. Romae VI. Idus Decembris 1714.

SE-

SECUNDI TOMI CONSPECTUS

Lectori Benevolo Cajetanus Migliore :
Epistolarum Appendix.

III
VII

C A R M I N A.

HEXAMETRA.

- | | | |
|-------|--|----|
| I. | <i>Ad Deodatum Targianum virum amicissimum de Excellentissimo BERNARDO TANVSIO a secretioribus CAROLI REGIS consiliis.</i> | 3 |
| II. | <i>In nuptiis Léonardi Tocci, Montismileti Principis, & Camillae Cantelmae ex Populensi Ducibus anno 1723.</i> | 5 |
| III. | <i>In nuptiis Antonii Farnesii Parmae Ducis, atque Henrichetae Arestinae, anno 1728.</i> | 8 |
| IV. | <i>De Alexandro Zeno Vincentiâ discedente, ad Dominicum Græcum I. C. Neapolitanum.</i> | 12 |
| V. | <i>Ad Josephum de Capua Capycium.</i> | 13 |
| VI. | <i>Ad Archangelum Paterculum Aversanae Ecclesiae Canonicum.</i> | 15 |
| VII. | <i>Ad Joannem Baptistam Cutillum Metropolitanae Ecclesiae Campanae Canonicum.</i> | 16 |
| VIII. | <i>In obitu Nicolai Cyrilli anno 1734.</i> | 19 |
| IX. | <i>Ob instauratum a Carolo III. Siciliarum Rege Neapolitanum Archigymnasium anno 1736.</i> | 20 |
| X. | <i>In idem.</i> | 21 |
| XI. | <i>In idem.</i> | 22 |
| XII. | <i>In idem.</i> | 23 |
| XIII. | <i>In Desiparæ laudem absque originis labe conceptæ pro</i> | |

XVIII

	<i>Colonia Alerina anno 1746.</i>	24
XIV.	<i>Ad Antonium Morlandum.</i>	25
XV.	<i>In Spinellianae Bibliothecae dedicatione anno 1747.</i>	ibid.
XVI.	<i>Ad Ignatium Calcium de editis linguae Sanctae Rudimentis anno 1753.</i>	26
XVII.	<i>Ad Brancatium.</i>	28
XVIII.	<i>Ad eundem.</i>	ibid.
XIX.	<i>Ad eundem.</i>	ibid.
XX.	<i>In obitu Ferdinandi Spinelli Tarsiae Principis anno 1753.</i>	ibid.
XXI.	<i>In librum Nicolai Cajetani Laurentianensium Ducis.</i>	29
XXII.	<i>In laudem Ioakimi Fernandez Portocarreri.</i>	30
XXIII.	<i>In eundem anno 1727. Gr.</i>	31
XXIV.	<i>In laudem Dominici Ludovici Gr. L.</i>	33

E L E G I A C A :

I.	<i>Lapis Infernalis ad Franciscum Seraum, ELEGOS.</i>	35
II.	<i>Kalendae Ianuariae ad Illustrissimum Franciscum Lanarium Regium in Neapolitano Senatu Consiliarium Capuae Praefectum juri dicundo.</i>	38
III.	<i>Ad Illustrissimum D. Franciscum Onuphrium Regium Consiliarium Capuae Praefectum juri dicundo, nuper inter quatuor Sacri Consilii Principes adlectum.</i>	40
IV.	<i>In Campani Amphitheatri laudem.</i>	ibid.
V.	<i>In idem.</i>	41
VI.	<i>Aegrotante Xaverio Pansuto</i>	42
VII.	<i>Ad Nicolaum Villoam.</i>	43
VIII.	<i>In Nuptiis Excellentissimi D. Petri Mazzaccara Ducis Castri Garannonis Ripae Candidae, & Massae Lombardae, & D. Annae Marciantis.</i>	ibid.
IX.	<i>In Nuptiis Antonii Carafae Trajecti Principis &c.</i>	atque

- atque Hippolytae Catanense en Sannicandri Principi-
bus &c. 44
- X. Adventui Caroli Borbonii utriusque Siciliae Regis in
suum a se restitutum eprimisque legibus constabili-
tum Gymnasium felicissimo. ibid.
- XI. In Nuptiis Antonii Capycii en Principibus Canusii,
& Tereſiae Filingeriae en Principibus Arianelli an-
no 1737. 45
- XII. In idem. ibid.
- XIII. Ad Benedictum XIV. quod ad Pontificatus apicem fue-
rit euectus anno 1740. 46
- XIV. Ad Illustrissimum Theophilum Maurum, in laudem
Ioannae, ac Diemirae Vezzi Virginum Venetarum,
qua die cenobitica vota intra Divi Iosephi claustra
Venetiis professae sunt. 47
- XV. In idem. ibid.
- XVI. In Nuptiis Michaëlis Medicei Principis Octaviani, &
Carmelae Philamarinae en Principibus Roccae anno
1744. 48
- XVII. In Desparae laudem pro Colonia Aetina anno 1744. ib.
- XVIII. In Eandem anno 1745. ibid.
- XIX. In laudem Io: Baptistae Bottii Oratoris sua memoria
facile principis anno 1747. 49
- XX. In Funere Antonii Magiocchi Regii Consiliarii anno
1749. ibid.
- XXI. Sub effigie Nicolai Capassi. 50
- XXII. In Nuptiis Thomae Caraccioli, & Hippolytae de Du-
ra anno 1731. ibid.

L Y R I C A:

- I. In Nuptiis Caroli Borbonii, ac Reginae Amaliae Val-
purgae ad Virum amplissimum Cajetanum Branc-
onium ejusdem Regis Caroli in Ecclesiasticis, & Gym-
nasii Neap. negotiis a secretis. 51

XX		
II.	<i>In laudem Benedicti XIV. ad Romanam Cathedram e-</i> <i>vecti anno 1740.</i>	55
III.	<i>Francisco Bonocorio Philippi, & Caroli Regum Re-</i> <i>gnique archiatro, in laudem Vincentii Hippolyti in</i> <i>Sanctae Clarae praesidem nuperrime renunciati.</i>	57
IV.	<i>Eidem.</i>	59
V.	<i>Carolo Borbonio magno, & invicto Regi, quod Neapo-</i> <i>litanum Lyceum praesentia maiestateque sua comple-</i> <i>verit Gymnasiarcha, & Professores anno 1736.</i>	60
VI.	<i>In idem.</i>	61
VII.	<i>Litterarii conventus dimissio.</i>	62
VIII.	<i>In S. Protomartyrem Stephanum.</i>	63
IX.	<i>In funere Cajetani Argenti anno 1731.</i>	64
X.	<i>In laudem Io. Baptistae S. R. E. Cardinalis Saler-</i> <i>ni.</i>	66
XI.	<i>Ad Xaverium Pansutum Regium Consiliarium.</i>	68
XII.	<i>Conquassantibus provincias terrae motibus ad S. Fran-</i> <i>ciscum Xaverium.</i>	69
XIII.	<i>In Nuptiis Iacobi Milani, atque Henricbertae Caraccio-</i> <i>li anno 1725. Gr.</i>	70

DISSERTATIONES.

DISSERTATIO I.

De Tyrrhenorum origine ad Caesatinum Galianum Regii Sa-
celli, ac Neapolitani Gymnasii Praefectum.

75

DIATRIBA I. *De septem maribus Etruriae Transpadanae, item*
de Fossionibus Philistinis, deque Padi nominibus ex orien-
tali sermone explanandis.

92

§. I. *De VII. Maribus, quidve ea fuerint. Pat eorum*
numerus in Palaestina, atque in transpadana Tyrrhenia. *ibid.*

§. II. *De fossionibus Philistinis, deque Asagis, ac Sa-*
gi.

104

§. III.

§. III. *Padī alim alaxi maiores qui fuerint . Deinde singulorum nomina ex Asiaticis linguis explicantur .* 107

I. *Padusa .* 109

II. *Spines .* ibid.

III. *Extraxiae .* 111

IV. *Sagis .* ibid.

V. *Volana .* ibid.

VI. *Carbonaria .* 112

VII. *Fossiones Philistinae sive Tartarus .* 113

DIATRIBA II. *De Ocno Mantuae & Felsinae conditore , deque Perusia . Ad Servii locum commentarius .* 114

DIATRIBA III. *Catalogus Etruriae Circumpadanae locorum .* 122

DIATRIBA IV. *De Umbriae & Piceni locorum nominibus ab Oriente deductis .* 134

§. I. *De Umbria .* ibid.

§. II. *De Piceno , praesertim de Curnero , quod ejus loci nomen est , ubi nunc Ancona .* 136

DIATRIBA V. *Catalogus Etruscorum Campaniae locorum , quorum nomina ex Asiaticis linguis derivantur .* 141

§. I. *De Acerris , ac Teano .* ibid.

§. II. *De Capua , ejusque nomine , ac nummis .* 144

DIATRIBA VI. *Catalogus nominum Etruriae locorum (quorum significationes rebus consentaneae nonnisi in Orientis linguis deprehenduntur) κατὰ στοιχεῖον .* 158

DIATRIBA VII. *De Volaterris , Populonia , Ilva .* 305

§. I. *Volaterrae cur sic nuncupatae fuerint . Quodque id vocabulum alterius Etrusci nominis Oenarea sit mera interpretatio .* ibid.

§. II. *De Populonia . Quorum colonia fuerit . Populoniae duo nummi inediti .* 213

§. III.

XXII

§. III. *De Ilva insula. Hoc nomen tantum Etrusce, sive
Hebraice valere, quantum Graece Αἰθάλεια.* 215

DIATRIBA VIII.

§. I. *Nomina propria regum, ac virorum Tuscorum.* ibid. 218

§. II. *Nomina Etruscorum Deorum.* 229



ALEXII SYMMACHI MAZUCHII
C A R M I N A



Tom. II.

I. *Ad Deodatum Targianum virum amicissimum de
Excellentissimo BERNARDO TANVSIO a secre-
tioribus CAROLI REGIS consiliis.*

TArgiani, Samiae Manlio sub consule testae
 Suaveolente anima mihi gratior ambrosiaque :
 O te felicem ter & amplius atque beatum !
 Nec tam adeo ingenium ob tantum, viridemque juventam ,
 Et quod mente animi exsuperas in corpore sano ;
 Quam quod TANVSI assideas sermonibus usque ;
 TANVSI, cujus vox mellea praevalet arte
 Orphêa cicurare tigres , mulcere leones :
 Ipse ego quem quondam , cum nondum vertice canos
 (Heu matura nimis) promiserat aegra senectus ,
 Noctibus ac totis memini auscultasse diebus ,
 Pectoris ex imo sophiae dum flumina promit .
 Nam quid ego referam (quamquam & meminisse juvabit) .
 Socraticis madet ut sermonibus ille ? ut onusta
 Fruge Cleanthea turget praecordia ? quantus
 Etrusco teres eloquio , teres atque Latino ;
 Grajugenaque teres lingua , se se auribus infert
 Ille ? sequi velox , quo forte hunc cumque vocaris .
 O ego si memori fervarem pectore saltem
 Frustum aliquod sermonum ejus , micasque cadentes
 De mensa . At (modo si Genitrix Helicone fatarum
 Adsis Mnemosyne) excutiam meme , experiarque
 Hoc jam aetatis . Abeste profanum vulgus & exlex
 Interea , ac penitus sacrato absistite templo :
 Queis vetitum indugredi sophiae sacraria , castis
 Tantum adeunda viris , castis cum mentibus . En ut
 Haud prius auditum non enarrabile carmen

4 A L E X. S Y M M. M A Z.

Inchoat ille, sequens quod nulla oblitteret aetas.

Namque canit non clara quibus se se orbibus astra
Circumagant, Solisve vias, Lunaeve labores,
Nec cur erroneas retro nitantur in ortum,
Stellifero obluctante polo, dirusve Cometes
Quid velit, aut quae vis magnetica, quid maris aestus.
Astr hominem canit ille, hominique ea dogmata pandit,
Pythagoran Anytique reum quae vincere, magnum
Atque Platona queant, atque Ethica Nicomachea.
Quippe docet, quae norma boni, quis limes honesti,
Rectum animi ut tueatur, ut ad rationis amissum
Quisque suos, modo cui tanti est sapere, exigat aestus.
At bona pars hominum correpta cupidine pravo
Mille agitur furiis, civilia praelia caeco
Corde premens, atque in sua peccat commoda vecors,
Vulnus alens venis, gremioque amplectitur angues
Infelix; neque enim sibi quid noceatve juvetve
Pervidet: aeterni tanta est inscitia juris.
Ergo illum exstimulat furor exitiosus habendi,
Faucibus at vappam hunc patulis vorat atra Charybdis,
Distentisque alius popularem colligit auram
Follibus, hunc metus exanimat, seu taetra fatigat
Invidia, at juvat hos caput obiectare periculis
Audaces, hos ultro ad sese arcessere mortem.
Non tot enim tumidos ciet improbus Hadria fluctus,
Non tot ad infamem Maleam intonuerunt procellae,
Nec fera tot Libycis monstra exspatiantur arenis;
Quot dirae scelerum facies stabulantur in imo
Pectore: quisque suas toleramus Erinnyas. Atqui
Stat contra ratio, & sinuoso in pectore garrit:
„ O curvi in terras animi, caelestium inanes,
„ Heu fugite (exclamat) miseri, atque excludite pestes
„ Visceribus. Quis amor dominis servire superbis
„ Corde catenato, ac miseros cupere esse libenter?
„ Evigilate animis, liceat quibus esse beatis,
„ Me duce, ne pigeat modo mentem advertere dictis.

„ Sta-

„ Statis? & obstruētas infensi avertitis aures?
 „ Quasne operae fuerat Sirenum carmina contra
 „ Oblevisse? Tamen vel nunc resipiscite tandem:
 „ Ah fugite interea, ac certae vos surpите morti.
 Sed ne, Musa, modis mihi detere grandia parvis:
 Nam BERNARDVS obest, presso digitumque labello
 Obdit, & Icariis vetat aethera findere pennis (1).

II. *In Nuptiis Leonardi Tocci, Montismileti Principis,
 & Camillae Cantelmae ex Populensium
 Ducibus, anno 1723.*

Quae Dea nunc volucris graditur per caerula concha,
 Nunc choreis nemus Idalium, atque Amathunta fati-
 giat,

Hinc procul o Venus ignipotens Erycina faceſſat,
 Et Veneris puer, & totus famulatus Amorum.
 Nec quatiās, Hymenaeae, faces; tum pronuba Iuno,
 Omnigenūmq; Deūm vulgus, quos caeca veruſtas,
 Ah nimium infana! ad connubia laeta vocabat,
 Abſcedant; dudum tota quos mente fugavit
 Gens pia. Pertaesum eſt ſclerum, errorisque prioris:

Nam Deus, o LEONARDE, Deus Deus ille, CAMILLA;
 Qui mare, qui terras, verbo qui condidit Orbem,
 Deſectam cum particulam de principe Luto
 Olli individua comitem, propriamque dicasset,
 Numine jam tum auctore, viro conjuncta virago eſt.
 Conjuga tum vero Omnipotens paria omnia grandi

Men-

(1) Venustissimum, ac ponderosum hexasticon, quo Mazochianis hisce versibus rescripsit Excell. Marchio Bernardus Tanusius heic subiiciendum existimavi; ab cujus certe nomine maximum & Mazochio decus, & libro ornamentum accedet:
Victorum priſcus tutatur Symmachus aram;

*Ingenio hic vincit quemlibet obſicias.
 Hieronymum pictor, populus, ſapientia, mores,
 Omnia purpureum, Roma nigrum perhibet.
 Ferre haec ut veterum poſſint diuerſa nepotes.
 Hieronymo haud impar Symmachus efficiat.*

Mente gerens , cui quis nubat , volventibus annis ,
 Sanciit . Edictum sed enim inviolabile Patris
 Diphthera in aureola Sapiencia filia panxit
 Sedula ; quam tereti circum obvolvens columellae
 Signis disparibus septem fatale volumen
 Intemeratum , augustum , ingens munibat ; ut omnis
 Irrita vis animaeve marisve sit , irrita contra
 Fulmina , seclorumque ut innumerabilis ordo .
 I nunc seu vir , seu Virgo matura , Tonantis
 Obfiste imperiis , contraque vel hiscere tantum
 Tende Deo ; stant haec stabili si mente reposta .

Ergo TOCCIADAE magno CANTELMIA jam tum
 Sponsa parabatur thalamo socianda jugali .
 Ecce dies , bonus ille dies , pernicious alis
 Vectus ab usque chaos , mundique pueritia , adest jam .

Quare agite , o Juvenes , soboles clarissima Regum ,
 Ambo florentes aetatibus , artibus ambo
 Ingenuis , pietate pari , formaque decentes ,
 Dum fas & dum jura sinunt , aetasque juvenia
 Admonet , imperiis summi parete Tonantis .
 Quodque bonum faustumque fiet , conjungite dextras ,
 Concordes animae , Caelum quos ante jugarat .
 Quodque Deus conjunxit , homo non separet , acris
 Impetus aut belli , atque ferens discordia rixas .

Tuque adeo , Virgo lectissima , rite Sacerdos
 Dum Sacris operatus habet sollemnia verba ,
 Vocibus & te conceptis scitabitur : *Heus tu ,*
Visne , CAMILLA , tibi vitae thalamique jugalem
Iungere TOCCIADAM ? ne obnitere , neve morare .
 Num pudor est Caelo assentirier , atque supremi
 Numina pone sequi Regis , cui temperat omnis
 Terra , velit nolite , cui famulatur Olympus ?
 Spargite humum foliis , pueri , innuptaeque puellae ,
 Purpureamque rosam , & calathis date lilia plenis .
 Iamque , Marite , juvet per compita , perque plateas
 Missilibus vulgi cupidus glomerare catervas

Va

C A R M I N A :

7

Vndique, qua ingreditur nova nupta curulibus aureis.

Quin agite, Aufoniae egregios properate Nepotes,
Quique forum moderentur & arma, domique forisque,
Arbitrosque trucidis belli, pacisque sequestros.

En erit ille dies tota mihi mente cupitus,

Cum, LEONARDE, tibi blando LEONARDVLVS ore
Luserit, atque equitans (1) *Lodoicus* arundine longa,
Ludicraeque acuens puerorum ad bella phalanges
Carolus, (ah tibi vae miserae sed Achaia tellus)

TOCCIA quos pridem patriis gens miscuit astris.

Nec minus interea figent carae oscula matri
Restainusque puer, roseo & (2) *Ventura* labello,
Atque indignanti similis similisque minanti
E puero (2) *Andreas* meditabitur aspera Scotis
Praelia, avita genus faciles ni in sceptrum reducant.

Tuque o rumpe moras, *Iacobe*, *Iacobe*: parentes

Dulce tuos ride. Te (3) magnus avunculus alto

Miratus Caeli folio, cui tempora oberrat

Fulva corona, bis & Tyrio saturata veneno

Vestis obitque humeros, & stellas firmate verrit,

Sic placidis puerum dictis affabatur: Eja,

O Puer, occulto sensim qui attolleris aevo,

Adnatat ut riguis ripae Sebethidos alnus,

Sic crescas virtute, meique simillimus esto,

Cujus nomen habes. Nec plura effabatur. Olli

Insueto tum forte Puer responderit ore,

„ Facta viri memorans cognominis, ut facer illum

„ Pro meritis murex circumsteterit; ut cupientem

„ In Patriam rediens Orci tremefecerit antrum,

„ Pallentemque paludem; & quae quis dicere possit?

„ Per te artes, *Iacobe*, bonae rediere; fuitque

„ Per

(1) Celebrantur praeter ceteros in gente Toccia Leonardi, *Ludovicus* a Rege Roberto ad Siculam expeditionem missus, *Carolus* Despotas Achaiae, &c.
morabiles sunt *Restaini*, *Ioseph Bonaventura* ex Comite Popalensium Dux a Philippo II. appellatus, *Andreas* summus Castrorum praefectus, &c.

(2) In gente vero Cantelmia me-

(3) *Iacobus* Card. Cantelm.

„ Per te honor ingeniis ; per te furiosa vagari
 „ Trans veritum (at tu intra fines pudibunda maneres)
 „ Sanguineo demum ore licentia fraena momordit.
 „ Fortunate *Iacobe* , poli te in sede recepto
 „ Gavisa est , gaudetque micantis regia Caeli .
 „ Quo super amisso tamen inclyta Parthenopaea
 „ Nunc Superos , nunc astra vocans lacrymabile carmen
 „ Integrat . Heu Patriae tamen o miserere , tuorumque
 „ Et Scoticum genus , unde domus CANTELMIA se fert ,
 „ Respice , TOCCIADASQUE benignus Achaica fuetos
 „ Sceptra manu terere , atque almae Sirenis alumnos .

At quo me rapis Aonii per inhospita montis ,
 Musa , reluctantem , solitoque haud igne furentem ?
 Non licet importuna sacratis funera taedis
 Ingerere , ac temerare novo convivio luctu .

III. *In Nuptiis Antonii Farnesii Parmae Ducis , atque
 Henrichettae Atestinae , anno 1728.*

R Egum progenies Italûm , parituraque Reges
 Gentis ATESTINAE carum decus , HENRICHETTA ,
 Tuque adeo , in quem unum domus inclinata recumbit
 FARNESIA , ANTONI , magnum & memorabile nomen ,
 Ambo quandoquidem sancto jam foedere juncti
 Spem dubiam AEmiliae serum firmatis in aevum ,
 Ambo mihi salvere , mihi , sociisque poëtis
 Este salutati , ac longos valeatis in annos .

Vosne olim stabili fatorum numine Parcae ,
 Dum torquent fusos , peragunt dum pensa sorores ,
 Italiae auxilio , atque aegris solatia terris
 Maxima faridico venturos ore caneant ?
 Vosne etiam Nymphae nemorum , & per molle cubantes
 Ad numerum quae membra cient pernicia colles ,
 Nec non rutilolae Panes , satyrique bicornes :
 Vosne etiam juga , vosne etiam nemora ipsa , fluentes
 Leniter & fontes , muscosaque laxa sonabant ?

Di-

C A R M I N A.

Dicite Naiades, quoties trepidantibus undis
 Parma fugax, niveo dum defluus Apennino
 Arduaque in diversa secans cognominis Urbis
 Moenia, in Eridanum haud magno sese ingerit alveo,
 Ah quoties sparsae roseos per colla capillos,
 Tundentesque genas, tundentes pectora palmis,
 Ah quoties late loca questibus implevistis,
 FARNESIAE gentis genus alto a sanguine regum
 Lugentes prope deletum, simul & decus omne
 Italiae interiisse, nec amplius affore terris
 RANVTIOS, nec ALEXANDROS: nec jura Quirino,
 PAVLE, iterum e folio trepidis dabis urbibus? heu jam,
 Sic quando visum superis, nec regia conjux
 DOROTHEA e molli pendentes ubere natas
 Laeta gerit, qui FRANCISCO tenera oscula patri
 Infigant, blanda & compellent voce parentem:
 Et quoniam sola successor defuit in aula,
 Ex usque Hesperiiis heres arcessitur oris.

Te quoque, teque, vicemque tuam, generose, dolebant
 Najades, ANTONI, nec non Dryadesque puellae.
 Ecquid enim cum ferre queas tot commoda terris
 Vnus, & afflictiis penitus succurrere rebus,
 Ecquid tanta tuaeque tenent te obliviae gentis,
 Et cupidae AEmiliae, nec vincla jugalia curas?
 Si tanti tibi non sumus, at FARNESIA saltem
 Stemmata, imaginibus spectanda ex ordine priscis
 Respice; ni auxiliare, gravi convulsa ruina.
 Ah genorose puer, quis nunc te detinet oris
 Visendi studium, & varios pernoscere mores!
 Forte pruinosas transgressum fortiter Alpes
 Ampla Parisiaci Herois nunc Aula receptat,
 Magnanimi Regis gavisum amplexibus. Anne,
 ANTONI, Morinos peragras, semperque rigentes
 Ac nostro penitus seclusos orbe Britannios?
 Forsitan & maria emensum, & vastissima tractu
 Terrarum spatia horrendis regio effera bellis

Tom. II.

B

Pan-

Pannonia expectat venientem , aut moenibus altis
 Vindobona exceptat , magnos cui Caesar honores
 Pro meritis paret . Atque utinam deliniant aspris
 Exultantem ausis tandem , ut mansuescere discat
 CAESARIS imperio , ac subeat cervice reflexa
 Connubii juga jam docilis . Verum ista sorores
 Quid frustra jactamus inanibus irrita ventis?
 Tantum haec ANTONI percellunt carmina mentem ,
 Quantum dura flix medio ludibria ponto
 Sentit inhorrentis fluctus , pelagique ruinas:
 Aut qualem annosam nemora inter devia quercum
 Certatim nunc hinc Boreas , nunc nimbifer illinc
 Vi magna cum horrore comae diverberat Auster ;
 Sibilat illa quidem foliorum excussa nitorem ,
 Sed quantum ima petit prope tartara stirpibus altis ,
 Tantum immota manens Caelo capita ardua tollit .

Haec , bene si memini , certe hisce simillima Nymphae ,
 Parmigenae Nymphae fluvio capita alta ferentes
 Ore dabant crebris singultibus interrupta :
 Carminē quo Pater Eridanus regnator aquarum
 Excitus , ingentes cui carbasus obtegat artus ,
 Rorantesque levi redimitus arundine crines ;
 At bifidum barbae decus olli pectus opacat
 Ventre tenuis , lymphasque cava longaevus ab urna
 Dum versat , gemitus suspiria singultusque
 Anxius ut procul arrectis bibit auribus , omnem
 Scrutatur propior causam , simul incipit ipse :

Sat lacrymis , luctuque datum esto : abssistite fletu ,
 Naiades Nymphae , & crines religate solutos .
 Pignora , quae cupitis , vobis avidaeque dabuntur
 Ausoniae . At suprema verant praevertē Divi
 Fata Ducis magni , folio-qui fultus eburno
 AEmiliae populos iusta ditione fatigat ,
 Et sanctis regit imperiis FARNESIVS heros .
 Ne duo regnanto , socialia neve ineunto
 Germani fratres consortia . Non bene multis

Cre-

Creditur imperium . Sed te , FRANCISCE , tuique
 Egregiam virtutem animi , ac decora inclyta magni
 Caelicolae populis tantum ostendere ; nec ultra
 Immortalem animam sceptris potioribus aptam
 Terreno imperitare finent aut affore regno .
 Nemo illum lacrymis decoret , nec funera fletu
 Faxit : humum foliis tantum inspergetis odoris ,
 Dona sacro cineri dabis quoque , mascula thura ,
 Et cum flore rosae ferrugineos hyacinthos .

At nubes tranantem illum , pedibusque terentem
 Sidera suscipietis humumque ; atque arduus omnes
 Vnde Vrbes , ac regna videbit , & omnia puncti
 Instar , pro quo bella geri turbasque cieri :
 Usque adeo leve cor hominum , & caelestium inane !

Tum vero ille asper , vincli impatiensque jugalis
 ANTONIVS , quem non ulli flexere hymenaei ,
 Faxo equidem facilis flectatur mox hymenaeis ,
 Sedulus atque genus caris extendere natis
 Quaerat , inops animi donec potiatur amatis
 Pignoribus , vacuumque nepotibus oppleat aulam .
 Multae illum quondam praeclara e stirpe maritum
 Reginae optabunt . Sed enim jam certa Tonantis ,
 Atque immota manet summae sententia menti :
 Vna alias inter jungatur regia conjux

ANTONIO HENRICETTA , pari par alma virago
 Nobilitate domus , animique , ac flore juventae .
 At tu , quae tanto , simul atque adoleveris annis ,
 Ac maturueris , spondebere Virgo marito ,
 Ac tandem tantos laeta ingredieris honores ,
 Cresce agetum , irrigua quantum sata candida ripa
 Populus occulto paullatim attollitur aevo .
 Quis ventura vetat me oblectamenta sagaci
 Praecepisse animo ? Iamque haud mora , nascere tandem ,
 Nascere progenies Caelo demissa sereno ,
 Afflictæ in requiem AEmiliae . Desiste querelis ,
 Externata malis , populosa Placentia ; tuque o

Vrbs regina potens opibusque , atque ubere glebae ,
 Parma , ubi RANVTIOS iterum , OCTAVIOSQUE videbis ,
 Magnanimos & ALEXANDROS rediisse , superbo
 Alta supercilio caput inter nubila condas .

Haec , bene si memini , certe hisce simillima Nymphis
 Fatidico Padus ore senex responsa canebat .

Verum ego jam dudum praescripti carminis orbem
 Transilui demens . Pudeat , stultissime Alexi ,
 Delectos inter vel tantum te hiscere vates ,
 Anseris inque modum argutos strepere inter olores .

IV. *De Alexandro Zeno Vincentiâ discedente ad Dominicanum Graecum I. C. Neapolitanum.*

GRAECE , decus patriae , docuit quem maxima Pallas
 Iuraque Cecropiasque artes moremque vetustum ,
 Quidquid & aeternis illevit Graecia chartis ;
 Ausus ad haec contemnere humum , penitusque repostas
 Scrutari causas , Caeli & convexa tueri :
 Quid me , luminibus quem sol non aspicit aequis ,
 Iamque diu oblitum Phoebi , oblitumque meimet ,
 Confectum macie , lethi & palloribus , urges
 Aërias tentare domos , perque avia laudum
 Ire ZENI magni ? Quo non illustrior alter
 Euganea de gente , atavum potioribus usquam
 Splendet imaginibus ; quas non arrodere nigro
 Livor dente queat , non & damnosa vetustas
 Atterere . Ipse suis sed enim majoribus effert
 Sese opibus , temnitque aliena crescere laude .
 Iungit se comitem claro de sanguine creta
 CLARA , aetate pari , paribus virtutibus , ore ,
 Nobilitate animi (nam pro quantum instar in illa est !)
 Fortunati ambo ; si vatum carmina , si quid
 Scriptores longum possunt transmittere in aevum ,
 Haud capere ulla queant vestras obliviae laudes .

Quae

C A R M I N A.

13

Quae quibus anteferam , aut quae audax exordia captem?

Fascibus exactis quos jam Vincentia luget ,

Ac proficiscentes una CLARAMQUE ZENVMQVE

Matrum affusa cohors, necnon juvenumque senumque

Prosequitur , tremulis & euntes passibus aequat ,

Atque Antenoreis infelix arcibus infert.

Qualia ubi aut Cynthi nemora , aut Parnassia rupes ,

Si quando inde gradum retulerunt cum duce Phoebo

Pierides , squalent sola ac deserta , neque ullum

Laetitia carmen datur exaudire , nec ullos

Ire videre choros : talis Vincentia , felix

Antehac , nunc longum gemit , exercetque querelas .

V. *Ad Iosephum de Capua Capycium .*

Mazochius Iosepho recte agere , atque valere

Nuntiat antiqua atque antiqui moris amico .

CApyci ante alios mihi conjunctissime , quem non

Sors mihi , sed ratio , tua sed sapientia , candor ,

Ingeniumque vicens nodo septemplete vinxit :

De te scitanti certus mihi rumor ad aures

Accidit , ille quidem multo optatissimus , usque

Cunctantem licet , ac taedas cane pejus , & angue

Aversantem animo , atque jugalia mente superba

Vincla recusantem , tandem subiisse tenella

Te cervice jugum . Tam pulchre scilicet , heus tu

Captus es ? haud hodie effugies , quin optime de te

Admissus cieas risum interioris amici ;

Nam quantum risere senem pueri , atque puellae

Silenum , injecere ubi vati ex vincula fertis ;

Tantos extollet LanarI Musa cachinnos ,

Tergemini & Mazziottae ; tum factus ad unguem

Ille deus Patriae Crivellius , atque fori lux ,

Candidus & Forlosia , & Iannonius unco

Om-

Omnia suspendens naso . O si adviveret ille,
 Quo tibi Cartesius patuere sacraria quondam
 Indice , qui & docuit te scita probabiliora
 Riccardus ! Censeri rugosam illi abfore sannam ?
 Inciperet : *Quo primaevus rigor ? hem quis inepte*
Dogmata dedocuit divina ? Sed ista Capassus
 Et melius canet , & rimosam immittet in aurem .
 Nam nos grex piger , haud morfu talis ullius acres
 Dumtaxat de te hoc taciti mirabimur . Heus quo
 Robur , & aes triplex circa cor , & ilia ? pectus
 Illud inaccessible , non expugnabile telis ?
 Omnia vincit amor . Quid non caleatis , amantes ,
 Si liquefit calybis rigor , & Capycius ardet ?
 Ardet , io , ferus ille , hausit flammamque medullis .
 At tibi quas tali referam pro munere grates ,
 Cimeliarcha , valens immittere frena leoni ,
 Callidus & cicures curru subungere tigres ?

Sed tandem amoto sectemur seria ludo .
 Gratulor hoc tibi conjugium , Iosephe , nec illas
 Ob res , quas vulgus stultum admiratur , opimas
 Divitias , formam , & tua quod Leonora curules
 Iactat avum , atque atavum plures longo ordine fellas ;
 Verum illud , longe quod tute fatebere majus ,
 Quod frugi , atque pudica , tuique simillima Virgo ,
 Quod linum , atque lanam supra sapit heroina ,
 Palladii fontis quod non expalluit haustus .
 His ego de causis gratior tibi . Quo bone circa
 Vtere forte tua , procul & quacumque querela ,
 Foecunda longum cum conjuge vive , valeque .

VI. *Ad Archangelum Paterculum Aversanae
Ecclesiae Canonicum.*

AT Dñ te perdant, inimice Patercule nostris
Sordibus, atque mei irrisor versute Cynismi,
Callidus insequier siccos unctissimus ipse.
Nam quid commerui, malefide Archangele, de te,
Cur nec opinantem opprimeres adventibus istis?
Qui regum hospitio claros potes, improbe, nostris
Injussu domini magalibus ingessisse
Improvisus, & importunus? At heus bone, ni te
Vlciscar propere, moriar: dabis, improbe, poenas.
Sive Lycambeis mihi proscinderis iambis;
Seu, si non alia potero ratione nocere,
Murmure te aggrediar sacro, Colchisque venenis,
Hisque ministeriis, docuit quae me modo Saga.
Interea, famule, atque ancillula, fuste saligno
Terga dolabimini: non plus vice simplice dictum
Furciferi? Vobis opus est conclavia munda,
Curare, ac pluteos defendere pulvere taetro.
[Et meministis enim Catii memorabile dogma:
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumptus? neglectis flagitium ingens.]
Vos inquam haec curare decet noctuque djuque:
Me par semotum a curis per devia Caeli
Ire, Antistenico qua trita est semita calle.
Anne, malum! Cynica exemplo sapientia herili
Vos delectat, & audita fide rudit asellus?
Turpia quin etiam potuistis pabula manni
Gramina [tunsa prius, tum excussa, lotaque rite,
Mos ut vester habet, ne tussis anheia caballum
Scilicet heu quatiat] postica ex parte paludis
Extimum in impluvium, stabulatur ubi ille caballus,
Per nostram [indignum scelus!] evexisse dietam,

Quam

Quam nostis musis sacram, sanctoque Cynismo?
 Graminea interea cecidistis frustra, mihi que
 Omne pavementum turpastis. Vestrane culpa est
 [Dic sodes Gramen, quoniam fluitare vehendo,
 Et restare soles] vectoris an est mage Davi,
 Gramineos laxè qui vinxerat ante maniplos?
 Crimen, Dave, tuum est: quid enim potes hiscere contra?
 Quid quod dum properas pensum absolvisse videri, &
 Rodere demensum fumanti non sine pulve,
 Fascem gramineum mihi, pessime, deposuisti
 In propiore procoetone? At quantine laboris
 Istud, amabo, fuit; veheres ut ad usque apothecam?
 Nam propius foenile aberat. Me, Archangele, nunc hoc
 Macerat, interea quid de me judicat illa
 De me, inquam, domus illa beatula, Valliadae ambo
 Regis amicitia illustres, regalibus ipsi
 Insigniti animis? Quid de me nobile fratrum
 Par dixit, quantos de me extulit atque cachinnos?
 Quid Testa egregie doctus, nec naris obesae?
 Perfide quid porro ipse Patercule clarus utroque,
 Et ridere vaser, risum & movisse peritus?
 Boeotum an crasso jurastis in aère natum?
 Sed quoniam via tam brevis est: redeatis opinor.
 Ne vivam; nisi jam ex Cynicis ego transfuga castris,
 Unguentoque, rolaque cutem, crines & odors
 Vinctior inveniar Metrodoro, ejusque sodali,
 Laerpitiferae & quoscumque tulere Cyrenae.

VII. *Ad Ioannem Baptistam Cutillum Metropolitanæ
 Ecclesiæ Campanæ Canonicum.*

Baptista Hyblaeo mihi nectare dulcior, aut si
 Melle quid Hyblaeo sit dulcius, ore puelli
 Cujus apum examen quondam confedit, ad unguem
 Factus homo, doctus Graece, doctusque Latine,

Ac

Accipe ; perbreuiter tibi quae respondet Alexis :
 Perbreuiter ; gravis usque adeo nam cura medullas
 Exest (vitae quoniam novus incipit ordo)
 Creber ut aegra mihi vix spiritus ilia pulset :
 I nunc , & molles elegos rescribe Cutillo .
 Qui possim ? sed tota tua est Elegia , Cutille ;
 Quippe elegos loqueris , promisque tenerima verba .
 Nam tua sunt : *Frater care , & dulcissime rerum , &*
Talia , quae possint vel saxea fundere corda ,
Cerae instar . Mihi post demorsos saepius ungues ,
 Post scalpum caput , atque inferne superne lituras ,
 Vix veniunt scabra , atque stilo propiora pedestri .
 Sed satis exordii est : nunc infit Epistola primum .

Spectatum satis , & donatum jam rude quaeris
 [Scripsit ut ille] iterum antiquo me includere ludo ;
Non eadem est aetas , non mens . Iam pigra senectus
 Invisos toto diffudit vertice canos ;
 Nam bis terque mihi manus utraque digerit annos ,
 Depressis digitis , mox & Yurgentibus , ut sit .
 Adde & morborum facies plus mille , liquantes
 Febres , & vacuum cerebro caput ; atque coquentem
 Nil stomachum : adde hypochondriacae mala semina pestis ;
 Adde alvum reliquatricem , lotique tenacem
 Vesicam , tum deliquiumque , melancholiamque ,
 Et subitas mortes , & quae quis dicere possit ?
 Sic affectus ego sum , ut lucro mihi quamlibet horam
 Apponam . Matutinus Capuam ire strigoso
 Impositus manno [excellens hortator equorum
 Qui ex usu assiduo ; vel tum quum forte pedestre
 Carpo iter , & propero , soleam uti voce monentis
 Cornipedes] idemque choro inservire potis sim ,
 Ad ravim usque canens , velut ille Tigellius ; exin
 Sancti vespertinus adire mapalia Prisci ?
 Atque id itus reditusque feram , dum spiritus artus
 Rexerit hosce ? Satis non est , quod quinque cucurri
 Lustra per hoc stadium , perque aestus atque procellas ?

Tom. II.

C

Quid

Quid loquor illa mei capitis dispendia, Graii
 Quae Κεφάλαια vocant? [Latiare vocabulum iniqua
 Cur mihi Musa negas quocumque includere versu?
 Dicam utcumque CAPITLA, licet ringatur Apollo]
 Ergo post Missam, post extinctasve lucernas,
 Ter campana sonat: numero namque impare gaudent.
 Aere crepante simul concurritur, undique nota
 Melotis positis periere sedilia quisque,
 Decertaturi summae certamina rerum;
 Concilium, quo non tota sacratius urbe est.
 Nam postquam Antistes conventus ipse torali
 Suffultus viridi (mea quae sunt lautia) sancte
 Praefatus, refero, quaenam deserta colonum
 Poscant rura, quibus sub conditionibus atque
 Illa locanda fient, & qua mercede; sub haecce,
 Numne remittenda agricolis sit pensio damnum ob
 Mendacis fundi sex millia; plusque remotis
 Tauris (ah! diuturna minus Campana fuisses
 Obsidio, minus ipsa fores damnosa sacratis
 Symmystis!) quota pars solida decedat oportet
 Mercede, & quota sit pars excutienda colonis:
 Quid facto sit opus, ne granum unum reliquator
 Messae suos ex hornotina intervertat in usus,
 Ante meus collega rata quam parte fruatur.
 Haec postquam, ejusdemque negotia mille farinae
 Antistes sancto retuli cernenda Senatu;
 Tum mihi, Musa, precor memora, quae dissona vocum
 Obtundant aures (frustra si terque quaterque
 Reclamem, nec non: ohe quo tenditis usque
 Clamosum commilitium infelicis Alexis?
 Hilum haud proficitur) queis & concentibus ingens
 Curia dissiliat, dum nil prope convenit; iste
 Namque ait, ille negat, nec stat sententia, donec
 Albis atque nigris lis sit decisa lapillis.
 Interea auriculae, & tu pinea glans cerebelli
 Funditus interiistis: nempe CAPITLA *minutio*

(Ah

(Ah nimis ex vero!) dixerunt nomine, quippe
Diminuunt caput, & cerebri penetralia rumpunt.

Cetera quid memorem, quae delassare loquaces
 Hos Fabios valeant, quales hoc protulit aevum
 Complures numero, dicenda tacenda profari
 Suetos? ut merito, ut catulus pardive leonise,
 Assiduus postquam arrofor retinacula fregit,
 Diffugiam ferus, atque ad nota cubilia pergam.
 Iamque vale (hem! modo promissa brevitate fefelli,
 Orationum instar! verbum non amplius addam)
 Ergo, Cutille, vale. Hic habeas & Epistola finem.

VIII. *In obitu Nicolai-Cyrilli anno 1734.*

Siccine, quem toties peragratu mente volucris
 Terrarum pontique plagis, caeloque profundo,
 Nil natura sui poterat celasse, nihilque
 Clam facere, abstrusis quamvis in partibus orbis,
 Ah! Cyrille jaces! potes & cecidisse! cuinam
 Cui tantum de te licuit? quae te arma domarunt?
 Fraus at at ista fuit: neu persentiscere quisses
 (Providus ac prudens, mos ut tuus, ante malorum)
 Olfactu causas morbi & momenta sagaci;
 Infidiis molita luem fata invida fata
 Ex improvise & per crimen proditiōis;
 Quippe tui in speciem studiosa, aggressa necarunt
 Scrutantem causas, & rimantem abdita rerum:
 Intentum ut formis in pulvere describendis
 Romulea ante senem Syracusum icerat hasta.
 Quis peterent aliter, nullum immedicabile vulnus
 Cui fuerat? tot millenas qui ex faucibus Orci
 Surpueras animas, neque segniter exercebas
 Regnum in saecula hominum, vitae atque arbiter aevi?
 Saltem dum caderes liquisset mittere vocem:
 Sat scio, flexisset fati implacabile numen
 Vox lenire homines, lenire & Erinnyas apta;

Vox nunquam nisi denso humeris audita Lyceo,
 (Heu viduo cupidoque tui, Cyrille, Lyceo)
 Quae nunquam consulta velut cortina fefellit,
 Callida linguarum, mussat queis dissona tellus:
 Vox vox illa potens rapidumque Acheronta morari
 Semianimesque umbras, semelaeque dente trifauci
 Corpora in has superas vi carminis eruere auras.
 Sic quoque nunc chartis immortalis voce mederis:
 Nec post fata vacas, neque vox intercidit omnis,
 Pagina testatur, cuicumque illeveris: en ut
 Melle fluit, mulcetque animos, morbosque repellit.

IX. *Ob instauratum a Carolo III. Siciliarum Rege Neapolitanum Archigymnasium anno 1736.*

HAc liceat, Bellona, tenus vexasse sacratas
 Pieridum sedes, quas ab radicibus imis
 Vellere, & immisso potuisti milite demens
 Insultasse, quibus colitur sapientia, sacris;
 Atque aras, atque exedras, xystum, hemicyclumque,
 Artibus & quae olim posuere sacraria reges,
 Sorde olida incestasse, fimo oblevisse lutoque.
 Hac bacchata tenus, facis hunc stultissima finem.
 Quandoquidem Hesperis huc qui modo victor ab oris
 Affuit, excussa Titan ceu nube serenus,
 Ut venit, viditque, simulque ut vicit: abesto hinc
 Mars, ait, atque soror procul hinc abscedat Enyo;
 Aut tibi quid miles cum otio, & cum pacis alumnis?
 Discite ut ante bonae juvenes acroamata frugis
 Ternis (1) mane horis, totidem ante silentia noctis.
 Nam, si quid valeo, mea si metuenda potestas,
 Haec par gymnasium haud toto celebrabitur orbe
 Artibus omne genus, disciplinisque subactum.

Haec

(1) Nempe ex Neapolitanae Scholae instituto matutinae & pomeridiae

nae exercitationes tribus singulae horis finiuntur.

Haec ubi dicta dedit, velut aggere flumina rupto,
 Effundi portis agmen sociale videres
 Bellonae armipotentis, & undique fervere cursum
 Atque fugam, inque vicem se tundere concurrando.
 Parte alia ingreditur sanctum sapientia limen
 Virginitus stipata scientifico comitatu:
 It clamor caelo, vox non nisi redditur una haec:
 Plaudite BORBONIDAE REGI, Gnatoque Patrique
 Et Proavo, unde salus, lux unde & gloria Musis.

X. *In idem.*

Post debellatum cum multiplici hoste, redacta
 Inque potestatem duo maxima regna, resectis
 Arcibus, impositoque tuendis limiti & orae
 Milite; parte alia legionum robore robur
 Longius hinc hostile terens, avertere Martem
 Callidus; alta quies ubi post fera praelia cunctis
 Affuit ordinibus, nec adhuc tonuere duella;
 Iudiciisque repurgatis ac legibus, omnis
 Postquam ad praescriptum res publica constitit: ultra
 Tendis adhuc, Rex magne, & opus moliris inausum
 Atque intentatum regum melioribus; adsint
 Auspiciis modo Caelicolae & felicibus orsis.
 Namque politiae alterius mirae atque beatae,
 Cudere quam scripto potuit Plato, non potuit re,
 Fundamenta jadis sophian artesque, cavens ut
 Publica non nisi res pateat sapientibus, atque
 In stadio tritis, multo & sudore palaestrae;
 Sic pulchre tibi processura negotia nempe
 Pollicitus. Quo nulla fuit discrimine belli
 Perfuncto tibi cura prior, REX CAROLE, quam ne
 Otia disfluere pueris, torpente Lyceo,
 Inve aliud pubes alio sub sole Lyceum
 Posthabito hoc studiosa celebrius avolet. Atqui
 Legibus atque novis pro temporis ingenio hujus

Ar-

Artibus adjectis, huc ventum est denique, nulla ut
Huic schola praeripiat palmam & victricia signa.
Recte habet. Ingentesque dies hodiernus ea re
Testatur grates, majores mente recondit.

XI. *In idem.*

BORBONIAE gentis laudes primoribus ulnis
Audentem innando contingere litore summo
Rictus inaccessi maris, & reflua unda repellit:
Namque prius quid fando sequar? quidve ordine porro?
Abstinet orsurum retro irremeabilis error
BORBONIDAS REGES ab origine Navarraea,
Henricum, Lodoicosque, & te maxime Regum
Quarte super decimum Lodoix; quem lumine quantum
Phoebus obit, tremuit terrarum & iussa capeffit.
Cujus ad arbitrium compositus pace quievit
Orbis, ad arbitrium circum strepuere duella:
Pacis at in studiis, reperit Graecanica quotquot
Excoluitve quies, prope desipis, o bone: Musas
Quique artes profugas ex Hellade constuprata
Barbariae assultu in tua regia tecta receptas,
Majores verfoque solo exsulioque futuras.
Idem in foedifragam implacabilis haeresin, aegre
Pacis iniqua ferens, Namnetum edicta refigis,
Ac male mulcatam consistere non finis usquam.
Regnorum genitrix, geminum quae temperat orbem,
Postrema conscissa genas pereunte favilla,
Legitimum ut vacua heredem non vidit in aula,
Te prece sollicitat, te regia circumspectat
Hesperiae, in te unum domus inclinata recumbit:
Tu viduum repleas solium pius, & grave sceptris
Submissa subole sustentes. Impetrat. I nunc
Magnanimi herois proles generosa PHILIPPE:
Celsa pruinofum, te jam veniente, Pyrene
Demittit caput, atque Tagus teque ambit Iberus.

Re-

Regnantum populo en aulam complebis inanem :
 Tu Reges terris dabis : ex te nobile germen
 CAROLVS erumpet sanguis tuus : ille beabit
 Adventu Sirena suo sanctasque Camoenas :
 Idem infrenatis per longum gentibus aevum ,
 Congenita virtute viam affectabit Olympo .
 Sed quo Musa petis iusti trans carminis orbem ? Et
 Magna pudens tenuare vetat metro impare Phoebus .

XII. *In idem.*

Felix forte tua , tua si modo commoda noris ,
 Parthenope ; quod enim ambieras , cupideque petebas ,
 Vt tandem exactis praetoribus , ut sua quemque
 Gens dabat externos extrinsecus , ac tibi Regem
 Naſta ſalutiferum , Vrbs fieres ſub Principe princeps ;
 Haud ſecus evenit , tota ac tibi mente cupiſti .
 Nec ſatis hoc : verum quod tute fatebere majus ,
 Munere caelicolum is Rector tibi lapſus Olympo eſt ,
 Heſperio qui Rege ſatus , Francoque oriundus
 Non focors , neque ſegnīs id unum agit idque laborat ,
 Francorum in ſeſe ut cumulet decora alta & Iberum .
 Ergo ut apes Hyblaea modo hos modo paſcitur illos
 Virtutum flores , ſuaque in mellaria condit :
 Sicque aſſignatum patriis regit artibus orbem ,
 Vt , quae pulchra cuique , ſibi ſimul arroget anus .
 Hinc illae , Rex , laudis opes , quibus affluīs : hac te
 Relligio pietas & munificentia valla ,
 Hac amor in populos , atque indulgentia fulcit ,
 Celſi hac mens animi , & trepidis conſtantia rebus ,
 Perpetui tenor & recti indefeſſus obarmat .
 Pacis militiaeque idem haud incallidus auctor .
 Praecipue ſed enim pacis ſtudioſior , ultro
 Attaliciſ praefers quam conditionibus . Artes
 Pace vigent per te ingenuae , juvenilibus atque
 Gymnaſium fervet ſtudiis : ea gloria curae eſt ;

Pal-

Palladiusque labor sensusque & corda pererrat.
 Nempe honor est Musis: via sub te Principe sola haec
 Ad censum patet, atque togas, ebur atque curule.
 Esto tuus mihi testis in hanc amor ille palaestram,
 Quam foveas vivax, precor, ac diurne palaestram:
 Hinc, ab equo veluti Phrygio, socia agmina promas,
 Obsequio adplicture tuo, Regnoque regundo.

XIII. *In Deiparae laudem absque originis labe conceptae pro Colonia Aletina anno 1746.*

Conceptum sine labe tuum, Ieffaea Virgo,
 Nil in terrigenis par aut habuisse secundum,
 Haud mage mirandum est, quam quae tot plurima nacta es
 Supra hominem citraque Deum, media inter utrumque.
 Sola sine exemplo Virgo atque Puerpera, damnum
 Nullum experta, simul potuisti ex Flamine Divo
 Concipere, & gravidata Deo, gessisse tumentem
 Verbo alvum, maturam orbi & fudisse salutem.
 Haecce hūmo concreti animo possumus homulli
 Nos capere, atque tuam comprehendere conditionem?
 Nam quam te memorem? Affinis quae facta Tonanti,
 Atque humana gerens, Triadi es cognata supernae
 Interea. Quid enim? Genitoris Filia summi es,
 Atque eadem aeterni Genitrix Sermonis, & almi
 Flaminis (ah reverenda Fides!) Sponsa atque Marita:
 Hancine tantum audax peteretve, aut laederet anguis?
 Callidus ille anguis, cujus cristamque, caputque
 Calce premens Virgo, interea adfligitque teritque,
 Atque reluctantem, totamque ex ore trisulcam
 Linguam exsertantem trudit sub tartara vinctum.

XIV. *Ad Antonium Morlandum.*

SAt fuit, Antoni, toto me carminis orbe
 A summo ad calcem sale perfricuisse & aceto,
 Aut si quid porro est aliud mordacius istis.
 Id belle haud potui aut patienter ferre, quod illa
 De falso in vulgus manavit fabula casse.
 Eheu quid volui misero mihi, quando tuis sum
 Auriculis ausus non fidis tradere tantum
 Dedecus! En unquam, rimarum o plene (Terenti
 Nam de te hoc certe comoedia nota locuta est)
 Perfluere hac atque illac desinis? Anne quod usquam est
 Commissum arcanum potin' haud differre? necesse est
 Quem, credo, rumpi & medium crepuisse, nisi usque
 Garriat ad streperam dicenda tacendaque ravim.
 Erubui, fateor, (nosti mihi quantus in ore
 Sit pudor, intacta major quam in virgine) at, inquam,
 Erubui, & totus madui sudore, legebam
 Quum cantata tuo in sermone domestica probra
 Mazochiana. Recantaris quae nunc modo amicus,
 Debes ludibrium mihi, debes atque poetis,
 Qui mihi quantavis operam mercede locarint.

XV. *In Spinellianae Bibliothecae dedicatione anno 1747.*

EDe tuam tandem, si non, SPINELLE, molestum est,
 Musis, Musarum & cultoribus ede Latinam,
 Graecamque, omnigenum & linguarum bibliothecam.
 Ede: quid in longum tot publica commoda tendis?
 Aut stantem ante fores quid adhuc admittere famam
 Non celeras? tua tot variis benefacta loquelis
 Evulgaturam, tua quot libraria linguas
 Gaza habet. Huic etenim (Fama inquit) Pergamon haud se
 Aequet ob Attalicas membranas, nec Pharos ingens;

Tom. II.

D

In.

Innumeris quamquam sufferta erat utraque scriptis,
 Regia vis dum omnes corraderet undique chartas.
 Ipse Palatinus quin & tutabitur arcem hanc
 Phoebus (Musco nec enim se jactat Apollo
 Vsq̃ue Palatino, ut SPINELLA sacraria temnat)
 Librorum admirans stipantia se ordine longo
 Agmina mille, nitensque altis laquearibus aurum,
 Auratos postes pluteosque, armaria circum
 Auro affusa micanti, aurum undique & undique libros.
 Socraticas etiam chartas, luctarier olim.
 Cum blattis solitas, foedas squalore situque,
 Nunc stupet Arcitenens fulvo rutilare metallo.
 Aurea quis posthac Musis rediisse negabit
 Saecula? scriptorum quando SPINELLA supellex
 Odit ebur, cedrum fastidit, & aurea tantum
 Ornamenta gerens, flavo circum innatat auro.
 Fundentem at Famam haec, super his & plura volentem
 Addere, compresso digitum VINCENTIVS obdens
 Labro inhibet, vetat atque suas attingere laudes.
 Regem in BORBONIDEM sed enim capita omnia laudum
 Rejeetat: cujus ductu auspicioque Camoenae,
 Pulsae olim retulere pedem; doctaeque Minervae
 Artibus atque bonis suus est honor. Haec via sola
 Ad censum patet, atque togas, ebur atque curule
 Principe sub tanto. Omnipotens quem Rector Olympi
 Sospitet incolumem, atque in longum proroget aevum.

XVI. *Ad Ignatium Calcium de editis Linguae Sanctae
 Rudimentis anno 1753.*

IGnati, vini Thasii mihi dulcior haustu,
 Suavior ambrosia, per & ossa utriusque parentis
 Te, per & obtestor quodcumque sacratius usquam est,
 Ne me versiculis (qui sat tibi divite vena
 Injussi veniunt) precor insectare caducum &

De-

Decrepitum. Quid enim? quid sub prelo eliciturum
 Pumice de sicco speras? haud proficis hilum.
 Heu oblita mihi tot carmina! pigra senectus
 Omnia corrasit, mentem quoque. Praeterit an te,
 Quot curae circum saliunt latus, & caput urgent
 Obstipum senio? Vel nuper cum voluisssem
 Me excutere & conari aliquid; ter & amplius ungue
 Demorso, & caeso pluteo, atque Heliconide ad usque
 Ravim plus vicibus sexcentis rite vocata;
 Reddebat mihi pluma nihil, nisi vel pede claudum,
 Vel quod retrogradi referebat brachia cancri.
 Quod si balbutire tamen sit tanta libido,
 Si ringi fando singultim singula, demum
 Si mutire jubes; cedo quo mihi summa redibit
 Carminis ingrati? quid vis tibi? Nempe malignus
 A me iudicium furtim exprimis Hexametrorum,
 Sermonis queis tu Hebraici praecepta caneas:
 Omnia ad obrussam sint, nec ne exacta; negasque
 Sparsurum in vulgus, nisi me sponsore vadato.
 Ridiculum! quasi non sic nolenti excuriantur
 Laudes ingratis: *Pulchra omnia, mira, superba,*
Plena leporis, io! & quae quis dicere possit?

Sed tamen amoto ludo: tibi conscius ipse es,
 Quo studio juvenes exposcant, edere quae tu
 Dudum es pollicitus. Quae tu qua fronte negabis,
 O bone, tam cupidis? Imo si presseris ultra,
 Nae tu peccaris tironum in commoda. Namque
 Omnia procedunt hic belle: sedibus apte
 Quaeque reposta suis; sapiensque aliena recidis,
 Ut sibi succosae sint hic plena omnia frugis.
 Dignum opus esse reor sane laudarier, & cui
 Tironis manus insudaverit, unice aventis
 Fonte ex illimi latices haurire beatos.
 Docte tui esto haec, Ignati, censura libelli.

XVII. *Ad Brancatium.*

EVge, nimis dilecte mihi, dilecte Camoenis,
 Brancati (tua namque prius cur pagina nomen
 Invidit?) qui tota potes sacra carmina Flacci
 In tēmet transſerre, imo in ſuccum atque cruorem
 Convertiſſe audax. Conſtabit gratia factō.
 Perge ut coepiſti. Interea ſalvebis amico,
 Aevi quem ſatias tenet hei mihi longa, ab Alexi.

XVIII. *Ad eundem.*

LEx ea dicatur, ſodes, noſtrum inter utrumque,
 Ne canere abſiſtas (per me non ſtabit) ad uſque
 Ravim: nec mittas, quantum te cumque jubebit
 Scribendi cacoëthes inurere (quae mora?) chartis:
 Me tamen interea infirmum non corpore tantum;
 Mente ſed in primis, cui carmina prorſus ad unum
 Omnia ſunt oblita, ſinas ceſſare libenter.
 Symmachus e molli haec fundebat pauca grabato ad
 Brancatium, multam impertit cui rite ſalutem.

XIX. *Ad eundem.*

AVt iſanit homo, aut verſus facit, inquit Horati
 Muſa. Rogo quidquid dicturus, dic age verbo:
 Neu me diſtineas facturum jam ſacra, ſodes.
 Balnea profeciſſe bene eſt, modo craſſior atque
 Spiſſior evadas tum corpore, tum quoque mente.

XX. *In obitu Ferdinandi Spinelli Tarſſae Principis
 anno 1753.*

HEu quamquam violenta manus mors attulit, ac te,
 SPINELLE, e medio conata eſt ſurpere; totus

Haud

Haud tamen hinc abes, at meliori parte superstes
 Cum nobis agitas occumbere nescius aevum.
 Terrea nam terrae data pars tua tertia: itemque
 Tertia pars super astra sibi cognata cucurrit
 Ocyor alitibus Zephyris: data tertia nobis.
 Iamque per ora virum volitas semperque volabis,
 Posteritas pretium meritis quoad arroget: ac dum
 Artibus & studiis color exstet, semper alumnis
 Musarum ante oculos levis occursabis imago:
 Musarum aedituis, inquam, quos sede vagantes
 Incerta dubioque solo, recipis lare, praebens
 Lautia, & hospitio dignaris tute benigno.
 Cetera quid memorem? per se se quae satis ipsa haec
 Bibliotheca loquax venturo effabitur aevo:
 Quae omnigenis linguis (resonant quaecumque disertae
 Tot chartae) vulgare tua haud benefacta quiescet.

XXI. In librum Nic. Cajetani Laurentianensium Ducis.

INclyta clarorum genitrix foecunda sophorum
 Siren, gymnasium jam tum post Troica iactans
 Tempora, cui quondam vafri violentia Vlyssæi
 Successisse (fide si digna est fabula) fertur:
 Gratulor hunc equidem solem surrexe ab Eoo
 Cardine tam rutilum tibi, Parthenopaea; palæstra ut
 Splendidiore tui ingenium, non corpora, alumni
 Exacuant, viresque animorum & robora mentis
 Exseruisse velint, studeant & in ardua niti;
 Hortante id Galiano & classica dia canente.

Nec studia hæc adeo esuriens plebecula tantum
 Affectat, stomacho ut latranti porrigat offam
 (Namque habet hoc inopum suboles, ut garriat usque
 Ad ravim, unde queat nummum elicuisse beatis)
 Sed, quod tute magis mirabere, nobiliorum
 Summus apex procerum per devia sedulus arcto
 Calle praeit prior, assequitur quos vulgus inermum

Den-

Denſum humeris, eademque premit veſtigia ſervum
 Viſque pecus. Quae nempe Plato exoptaverat olim,
 Seu ſophiam ut colerent reges rerumque propago,
 Sive ſophi ut placida populos ditione tenerent,
 Evenere. Viden' regali e ſanguine cretus
 Qualis quantuſque & quanto molimine rerum
 CAIETANVS adeſt? viden' immemor illecebrarum ut
 Socratis inſiſtens veſtigia (primus ab aſtris
 Qui ſophiam demifit, & in fora & Attica ductam
 Oppida, Achivorum indutu & ſermone decoram,
 Pectoribus Grajūm carus inſtillavit, & aſpros
 Dedocuit mores, furiaſque coërcuit atras)
 Ipſum hominem formet (1)

.
 Ergo ſorte tua felix, dulciſſima Siren,
 Quae poteſ Heroas tot promere philoſophantes,
 Heroas priſco Heroum de ſanguine cretos.
 Italia Magna tibi ſubmittat Graecia faſces,
 Tranſque marina Hellas concedat, & inclytæ Athenae.

XXII. *In laudem Ioakimi Fernandez Portocarreri.*

DVM laudes, IOAKIME, tuas vulgare per orbem
 Ingredior, procul hinc, jubeo, procul eſte profana
 Cantica, ſeu Graio crepitantia, ſive Latino
 Ore: nihil commune mihi cum gentibus eſto.
 Me vero primum Iudaeae (2) ante omnia Muſae
 Delectent. Amat Hebraeo magnus IEHOAKIM
 Ore cani, Hebraeis nomen cui regibus ortum.
 Adde quod is, felix ter & amplius, anxius omaem
 Nocturna verſare manu, verſare diurna
 Scripturam; doceant quid ſacra volumina Moſis,
 Quidve Prophetarum referat chorus, in numero

Cun:

(1) Plures hinc deſunt in autogra-
 ho verſus Auſtoris manu deleti.

(2) Hinc vides, verſus hoſce ab He-

braico Epigrammate Latine redditos.
 Sed Hebraeum ipſum carmen nullibi
 reperire licuit.

Cuncta habet. Ex illo sed enim CARRERIVS heros
 Fonte rigat sua dictaque factaque, corde volutans,
 Quid Domini lex sancta vetet, quid sanciat, atque
 Qua ratione regat populos: caelestibus hiscens
 Vsq̄ue adeo sciris, vana ac terrestria calcat;
 Vere ergo is manibus devincta fidelibus, ampla &
 Fronte palam mandata gerit Dei, inustaue cordi
 Visceribusque suis; quorum & sensa abdita callet:
 Dicier ut merito mens illius ARCA SACRORVM
 LIBRORVM queat. O salve mea cura, IOAKIM,
 Carmine Davidico digne & graviore cothurno:
 Te, veniente die, te decedente canemus,
 Inque sequens aevum, dum spiritus hos reget artus.

XXIII. In eundem anno 1727.

Τῶν μνησῶν Ἡρώα περίκλυτον, ἔτινος εὐχος
 Πάσας αἰψά διήλθεν ἐπ' Ἡελίοιο κελεύθευ
 Κ' ἠπὶ νότον βορέην τε καὶ αὐτολίην δυσμάς τε,
 Πρῶτα μὲν ἀρχάλλω τοῖς, ἀρυπόροις περ ἔσθιν,
 Ἀσματος ἐξαμέτροισιν, ἃ ἔχ' ὅλον ἔνομα κείνῃ
 Ἐξαπλοῖς κόλποισιν εἰς δύνατ' ἀμφιβαλέσθαι.
 Ἀλλ' ἔμψης ΚΑΡ'ΡΗΡΟΣ ἐμοὶ ὅγε κικλησκέσθω
 Μέτρου ἀναγκαίῃ, λοιπὸν δ' ἀφελόμεθα ΠΟΡΤΟΝ.
 Ἀλλὰ τί μὲν θαυμαστόν, εἰ ἄσπρατα δεκτικὰ τόσους
 Μὴ πέλετ' ὀνόματος, τὸ καὶ ὠκεανὸς καὶ ἀέρρη
 Καὶ πόλις ποταμοῖτε καὶ ἐθνῶν ἄσπετα φύλα
 Πᾶσα χθὼν μόγις εἰδέχεται; Καὶ γὰρ κλέος Ἀνδρὸς
 Αἰὲν ἀεζόμενον χεδὸν ἄγχι βέβηκεν Οὐλύμπῃ.
 Σαρδῶ παιπαλόμενα περὶ ῥοὸς εἰν ἀλὶ νῆσος,
 Ἡ ποτε ΚΑΡ'ΡΗΡΟΣ δῶλον ζυγὸς αὐχένι θῆκε,
 Κ' ἔρεα Πυρρήναϊα καὶ ὄβεμον ἔθνος Ἰβήρων
 (Εὐκλείς ἐνθα γένος ΚΑΡ'ΡΗΡΙΟΝ) ἔσε μοι αἰεὶ
 Μάρτυρες ὅσα πέποσθε, τοπεῖν ΚΑΡ'ΡΗΡΟΣ Ἀρῆος
 Ἡγεμόνασε, κακῆς ἀμπαύτων πατεῖδα γαῖαν
 Δαλοσυνῆς· Ἀμὰ ΚΑΡ'ΡΗΡΟΣ δὲ ὁ πύργος αὐτῆς

Φυ-

Φυλόπιδα· σήσας πολυαΐκος πολέμας,
 Ὄρσε βοὴν κρυόεσσαν ἀπειρεσίην τε οἷζυν,
 Ῥεῖα μὲν ὀπλιτῶν θαλέρας ἐκέδασε φάλαγγας,
 Θάρράλεος δὲ παροίσει, ποθὴ ἔχεν οὐκ ἐπ' χαρμῆς
 Ἀνέρας ἀντιβίς, ἀλλ' ἐκθορον ἄλλοδ' ἄλλος.
 Ἡὔτε δ' αἶτ' αἰνὸν ὑποπτώσῃσι πέλειαι
 Ἐν δυοφεροῖς δρυμῶισιν, ἔτ' ἐγγυθεν ὄξυ κεκληγώς
 Πωτᾶται Βασιλεὺς τανυσίπτερος ἔνθα καὶ ἔνθα,
 Ὡς οἷγ' ἄλλοθεν ἄλλος ἀλδάτο ἄλχιμον ἄνδρα.
 Τῷ καλῶς γε (σαφ' οἶδα) μὲν ὁ ΣΤΑΡΕΒΕΡΓΙΟΣ ἦρως
 Εὐπραγίης μακάρεζε, καὶ ἐθάμβεεν εἴνεκα βελῆς.
 Εἰρήνης δ' ἔχ' ἥσων ἀναιμιάκτοιο γαλήνην
 ΚΑΡΡ' ἨΡΟΣ φιλέει· καὶ γὰρ περὶ δέξιός ἐστιν,
 Οἷος ἦν ἦρως ὄγ' Οἰμηκὸς Ἀγροπαῖος.
 Ὡς μὲν ἸΩΛΚΕΪΜ' δεδαὼς πολεμῆϊα ἔργα,
 Εἰρήνης ἅμα δ' ὡτὸς ἄδην διέπει τὸ κατ' ἥκον,
 Ἐντ' εὐήμερῇ πολίων λαοσόος ἀνὴρ
 Ἀρχεῖ, ἡτυχίης ἐρατεινὰ μετ' ἵχνια βαίνων,
 Ἀμφοτέρων, βελήντ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής,
 Ἐκ δ' ἀηγεσίης ἀρετῶσι τὰ ἔθνε' ὑπ' αὐτῷ.
 Σικελίῃ τέττων μοι ἐπέων ἐπιμάρτυρος ἔσω,
 Σικελίῃ νήτων λιταρωτάτῃ δ' ἐκτιμένη τε·
 Ἡ' ποτε μὲν λωβηθεῖτα μαχαῖς καὶ φυλόπιδ' αἰνῇ,
 Νῦν δὲ μάλ' ἐνδυκέως, βεληφόρος Ἄνδρὸς ἔκλῃτι,
 Τῆς τε γεηπονίης τεχνῶν τ' ἐμπάζετ' ἀρύρης,
 Καὶ σπᾶδαι μὲν τ' ὦλκα πεμῖν, σπᾶδαι δὲ φυτεύειν,
 Κ' ἀμπεδίου βόσκει μὲν οἷς, βόσκει δὲ μελίσας.
 Τῇ μὲν ταῦτα μέμνηεν· ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχνας
 Λεπτὰ διασήτῃ, μαχῶν δ' οὐδ' ἔνομ' ἀκασόν.
 Οὐδέ σε, Σιρήνων καλλίστη Παρθενόπεια,
 Οὐ μὲν ἔοικεν ἀκὴν ἔμεναι, στήν δὲ παρήσειν,
 Ὅσα κατ' ὥρῃσεν κατὰ τ' ἄσπεα καὶ κατὰ ταύτην
 Παμβασιλεύσαν μητρόπτολιν ὄμμα πολλῶν
 Ἀρχὴ ΚΑΡΡ' ἨΡΟΥ, καὶ περ πετράμηνος ἔουσα.
 Εὐνομίη γὰρ καλὰ καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει,
 Ἀμφιτίθῃσι πέδας ἀδίκους, ὕβριν δὲ τ' ἀμαυροῖ,

Εὐθύνας

Εὐθύνη δὲ δίκα σκολιάς, φρυγὶ δὲ θύμισας,
 Ἐντίμως δὲ μάλισα γεραίρει· Καὶ γὰρ ἐχέφρων
 ΚΑΡΡ'ΗΡΟΣ φιλέοντα φιλεῖ, καὶ εἰς ἄκρον ἡδύς,
 Πᾶσι δὲ δ'γνώμων, αἰτ'άμενος οὐκ ἀνάνδρει,
 Ἀλλὰ δὲ πάντ' ἀγαθῷ καὶ ἐλπίδι ἀνδρὶ ἐθακώς,
 Οἷον χρητὴρ πατέρ' ἀνδρῶπων καὶ ποιμένα λαῶν.
 Χ' ὅς μὲν τοῦτο γὰρ' ἐκ ζαθέων ἡμέλιστα βίβλων,
 Παντοίας δὲ σοφῶν μελέτας περαπίδεσσιν ἔησιν
 Ἐνθήκας, μύθοισι κέκαστο, παλαιὰ δὲ εἰδώς
 Πάνθ', ὅσα θ' Ἕλληες σελίσιν πινυτῶς ἐχάραξαν,
 Ὅσα τε Ῥωμαϊκῶν δέλτων περίεσσιν, ἐκείδω
 Τῆς ἀηγεσίης τὰ πράγματα πάντ' ἐδιδάχθη.
 Τῷ πάντες νεμεσῶμεν ὑπερφιάλως κοτίοντες,
 Οὐνεκ' Ἀνὴρ πανάριστος ἀπόπροθι μέλλει ἀπελθεῖν,
 Βῆ δ' ἵεναι μακραν, καὶ τὰς βαθυαγχέας Ἀλπεῖς,
 Λοξάτ', ἄπαντα, καί ταντα, πάπαντ' αὖ πολλὰ περήσων,
 Πῇ ἐθέλεις ἵκναι; ἢ Παρθενόπης ὀλολυγμῶν
 Οὐκ αἶετ'; τίς τερπώλῃ Παιήνῃ ἱκέρθαι
 Γαῖαν, καὶ βορέας προαῖς πεπεδημένον Ἴστρον;
 Ἀλλ' ἴθι μὲν, Παραδόξ', ἴθι ΚΑΙΣΑΡΟΣ ἔργα διώζων,
 Οὐ πολλὸν δὲ μεσηγύ, καὶ ἐλπόμεθ' ἡμαρ ιδεῖσθαι
 Νόσιμον, ὧ γὰρ δέ, σέιο, τόδ' ἀχόμεθ' ὥκα γενέσθαι.
 Ἀλλὰ, Πάτερ, μάλα χαῖρε, καὶ ἔλαος ἅμμι γένοιο,
 Μηδὲ λάθαιο καλῆς Σιρήνος Παρθενοπείης,

XXIV. In laudem Dominici Ludovici.

ΠΑρθενόπην ἔλε θαμβος, ὅτ' ἐκλυε τοῦ ΛΟΔΟΙΓΚΟΥ
 Τὴν ὅτα μελιχίου μελιηδέα τε ζαθέαν τε
 Θέλγουσαν μάκαράς τε καὶ ἄνδρας ἀπήμονι μόλῃ.
 Καὶ φάτο· τίς γὰρ ἡμᾶς ἀθετεῖν οἷος τε θέμιστας;
 Ἀρσενὰ μήτι βροταὶ Σειρήνα τρέφουσι τετάρτην;
 Ταύτην δ' οὐκ ὀλοήν (ἡμῶν αἰ ἀπερ' ἐστὶ γενέθλη)
 Ἀλλὰ σαοφροσύνης καλοκαγαθίας τε γέμουσαν,
 Παντοίων δ' ἀρετῶν φρεσὶ σπινθάριγας ἐπιείσαν.
 Ἀλλὰ σὺ λοιπὸν ἔασον, Ὀδυσσεῦ, κηρῷ ἀλείψαι

Tom. II.

E

Ὅντα

Οὐατα τοῖς ἑτάροισι, σὲ δὲ τ' ἐν δαίμοσι πίεζεν·
 Ἡ τετρατὴ Σῦρην μόνον οὐ φέρει, ἀλλ' ὕψισται.

Idem Latine

PArthenope obstupuit, simul audiit excita cantum
 DOMINICI, nullus quo dulcior, ac mage dius:
 Carmine quo innocuo Superique hominesque beantur.
 Numquid, ait, potis est in nostra irrumpere jura?
 An quartam Sirena marem nova protulit aetas?
 Sirena infonem (mea nam malefida propago)
 Recti hortatricem, plenam pulchro atque decoro,
 Virtutem ad genus omne facis stimulosque adhibentem.
 Quo, Laërtiade, circa sine vincla valere,
 Et ceram; ac fines hos praeterlabere tutus:
 Haud Siren Vestina necat, quin sedula servat.

L. Lapis Infernalis ad Franciscum Seraum

ELEGO-EPOS [I].

O Cui cuncta mei ratio otī, cuncta negoti
 Constitit usque, mei o pars animi melior,
 Cicce Serae, mihi multis jucundior haustu,
 Et vini Thasii suaveolente anima:
 Accipe quae obstreperus tibi garrus coram Aquaviva
 Legato, oranda est cras cui causa gravis.
 Sexta mihi, & quod adhuc excurrit, Olympias acta est;
 Vnde caput languet, nec cerebrum in cerebro est.
 Nec mihi profuerunt auctore Machaone mille
 Pocula, non minii pota metalla diu.
 Iamque quaterdecimus minii nil proficit haustus;
 Tantum interna rubent viscera cinnabari.
 Nec superest aliud, nisi ut urat utrumque lacertum
 Cantharis, & miserum mihi occiput igne notet.
 (Vt bene me nuper Peppi violentia Iori
 Commonuit, quo non suavior acephalus;
 Is, qui ex nocturnis horis, pariterque diurnis
 Versiculum haud potis est dicere: quale caput!)
 Scilicet ut triplici de stigmate profluus humor
 Peccator, cerebrum (credat Apella) levet.
 Abnuat ire ichor? capitis sudum illico opacant
 Nubila confusae dira melancholiae.
 Flectere tum nequiens superos Acheronta movebis,
 Artibus haud (absit scrupulus) illicitis.
 Quamlibet obtuso Lapis auxilio Infernalis
 Vnus erit: picci hunc ripa Acherontis habet.

E 2

Hoc

(1) Carmen hoc, quod ex Elegis, que addici poterat; ab principe parte
 Epicisque compactum utriusque classis ac- cum Elegiacis procedere iussi.

Hoc caute admoto, conceptis non sine verbis,

Ternis ulceribus ter, cito parata salus.

Hujus ope obductus calli corroditur agger:

Quae modo caeca fuit, vena benigna fluet.

Objice nam rupto, totis (mirabile dictu !)

Fervere de scatebris cernere erit saniem.

Qua data porta fluit, collum atque ignobile mentum

Polluit atque humerum, haud indecori illuvie,

Lumborum tenuis. Atque ut cruda Cerberus alvo:

[Paullisper dum Elegia, resistito, mollibus usque

Apta modis, tragicis incedere inepta cothurnis,

Quales aegrotans stomacho canis ille requirit]

Ergo ubi jam triduo crudus recubabat in antro

Deliciae Ditis genitoris Cerberus; aegro

Nec poterat stomacho succurrere fatus & unguen:

Ilia anhelantem, & suspiria crebra cientem

Invisit Chiron jussu Plutonis (in umbras

Qui tum forte leves pacta veterinus agebat

Rem medicam mercede) febriret, nec ne, ubi vena

Pulsibus explorata senem cito condocesecit,

Et rubor accensi, aequae ac subsidentiae loti;

Tum vero triplicem exsertari rite trifauci

Ore jubet linguam, vitream quam non sine lente

[Lippierat siquidem libri helluo] contemplatus:

Vertage Plutonis pulchelle, nisi, inquit, edendi

Sit modus, atque epulis positae virtutis amore

Fortem animam abstineas, vereor, vitalis uti sis.

Non est, crede mihi, triplici satis unus & idem

Gutturi aqualiculus: binos seu vi opprime rictus,

Seu regem pete, tergeminas multiplicet alvos.

Ten' peccatores centenos mandere, deinde

Conquerier stomachi vires nil rite coquentis?

Nunc praecepta sibi haud istud pathos ethica poscit,

Plenius ac melius quae deinde doceberis. Vfus

Verum artis, Centaure, tuae: nam quid moror ultra?

Faece tenus siccanda tibi vomitoria, sodes.

Nec

Nec tepidam jubeo tibi poni, aut hippecuanam, &
 Qualia praescripti mortalibus olim, & equabus
 Cardiacis, idem doctorque & mulio Achillis :
 Cui Stygiae haud profecerunt radicitus herbae,
 Pharmaca nunc potiora tibi tentanda metallum
 De genere. Ecce tibi (senior simul extrahit unum
 De pera lapidem, Stygio quem effoderat agro,
 Quem pila pinfit vitrea, ut jam polline fallat
 Indicis attritum cum pollice) quo, bone, circa
 Aude : seu pilulas, seu mixtim juscula mavis
 Sumere, tergemina nunc Thracas amystide vinces :
 [Clinico & interea risus ciet arte Molosso]
 Funditus exantlanda hodie sentina carinae
 Istius ; hinc stomacho vacuus, vacuabere nummis
 (Qui Medicis debetur honor vel maximus) Iro
 Vt non invidas. Dixi. Ast his cetera dictis
 Applausere omnes Empirica turba, simulque
 Densa humeris plebes umbrarum admurmurat, ipse
 Cardiacus cauda venaticus adblanditur .
 At Mulomedicus dirimens collegia, ternos
 Ad summum usque cados Stygia replet ipse palude,
 Inter cetera specificum ignorabile miscens
 (Quod cata posteritas vocat Infernale metallum)
 Ac tandem hiscenti, ac tria guttura aperta tenenti,
 Tisiphone admirante, ciboria terna propinat .
 Nunc, Erato, assuefacta gravi pede saeva duella
 Condere, tute canas, quae, & qualia tormina virus
 Dira caco stomacho conciverit acre Molosso,
 Donec ope Ilithyae (aderat quae parturienti)
 Rustibus usque olidis, dein & singultibus, acri
 Excita cholera, per magna inferne superne
 Ostia bis duo se exonerans grave olens Camarina
 Allevat ingluviem, restagnantemque paludem
 Ventriculi [infandum, visu ac miserabile monstrum !]
 Flumine quo totum maduit lacrimabile regnum, &
 Ipla redundavit genitoris regia Ditis .

Car-

Carmine quo referam Stygiae damna ultima cymbae?
 Nam simul alluvies picci torrentis adepta
 Occupat ire lacum rauco cum murmure, cautus
 Portitor ipse sibi, multo vectore relicto,
 In ripam erepit se se expositurus in alga:
 At scapha diluvii assultu resoluta fatiscit.
 Iamque, Elegia, redi. Vt cruda, inquam, Cerberus alvo
 Eruſtat triplici gutture colluviem:
 Sic triplici pariter de stigmate profluet ichor:
 Fit sudum capiti, luxque serena redit:
 Tanti Infernalis refert pernoſſe metalli,
 Cicce, potestates ingeniumque. Vale.

*II. Kalendae Ianuariae ad Illuſtriſſimum Franciſcum Lanarium Regium in Neapolitano Senatu Conſiliarium
 Capuae Praefectum juri dicundo.*

Iane biceps, utcunque tuae venere Kalendae,
 Feſtum laeta diem Martia Roma colit.
 Namque novi praeceunt faſces, nova purpura ſplendet,
 Roma patres patriae ſentit aſſeſſe novos;
 Conſule utroque Iovis limen ſubeunte tonantis,
 Votaque dum fauſta concipiuntur avi.
 At merito te, Iane pater, finxere bifrontem,
 Quod ſimul a tergo, quod ſimul ante vides.
 Ergo luminibus Romam dum conſpicis unis,
 Altera, queis Capuam contuearis, habes;
 Aemula quae Romae, atque adeo Roma altera quondam
 Audiit, omnigena mollis & illecebra;
 Imperioque potens populos ditione regebat,
 Dives agri, Baccho ditior & Cerere.
 Conſul, Iane, tuis ſi binus forte Kalendis
 Prodiſſet paribus faſcibus atque togis:
 Haud ſecus hic Duovir binus procedere ſuetus,
 Nomine abutentes conſulis, ac decore.

Et

Et meminisse potes Pompejos , atque superbos
 Pisones , Catos praeterea ut taceam ,
 Hic potius fasces , atque hic ambisse curules ,
 Et duo Campanis jura dedisse viros .
 Nil tamen antiquis , Iane o , concedimus ista
 Parte ; nihil , quod avis invidemus , erit ;
 Quandoquidem nuper Xaverius (a) ille Camoenis
 Dulce caput , lauro & fulgidum Apollinea .
 [Cui tantum ipsa diu intermissa Tragoedia debet ,
 Quantum Virgilio nobile debet Epos]
 Nunc autem auspiciis Lanarius ecce secundis .
 [Cui quoque pro meritis tempora laurus obit ,
 Laurus Apollo suo donum immortale poetae
 Quod dedit , Aonidum quod dat habere chorus]
 Campanis dat jura equiti , sanctoque senatu ,
 Ac plebi indocili ferre iugum indecore ;
 Francisco moderante tamen sapienter habenas ,
 Ferre iugum assuetae leniter ac leviter .
 Ecquis enim hoc fuerit legum prudentior ? ecquis ,
 Sanctior illarum cultor , & aedituns ?
 Quo demum praetore sua haec Astrea revisit ,
 Posthabito caeli culmine , templa redux .
 Nemo emuncta dolet marsupia : nullius arcae
 Aut rabula , aut scriba , aut fur inhiare potest .
 Carpit iter nullo infestum latrone viator .
 Iam procul hinc fraudes , & dolus omnis abest .
 Optime Lanari , quo non servantior aequi
 Quisquam erit , aut vena ditior ingenii ;
 Quandoquidem Iani tibi processere Kalendae ,
 Vota haec concipimus more recepto ab avis :
 Quod felix faustumque fiet populo patribusque ,
 Annum hunc ecce bonis ingredere auspiciis :
 Talis hic annus eat tibi , quales aurea quondam
 Saturni imperio saecula protulerunt :
 Vive diu , possimque haec alium tibi rursus in annum
 Concipere , atque alios insuper atque alios .

(a) *Pansui* .

In-

Interea haec quae sermoni propiora pedestri
Fusa damus, tu aequi consulito atque boni.

III. *Ad Illustrissimum D. Franciscum Onuphrium Regium Consiliarium, Capuae praefectum juri dicundo, nuper inter quatuor Sacri Consilii Principes adlectum.*

Scilicet afflictis hoc rebus deerat, ONUPHRI,
Qui datus ut columen praesidiumque fores
Urbi Capyadum, ut mox ilicet eriperere,
Atque extrema comes gaudia sic premeret
Luctus! Egenorum cui posthac cura erit? hem quis
Auxilio oppressis deinde reis aderit?
Heu quis pupillos viduasque tuebitur aegras,
Campanisve abiget publica damna plagis?
En quis obaeratis (dominis quamquam ilia saeviss
Rumpebantur) opem iam feret agricolis,
Non bene proscisso damnum apportante novali,
Cum procul hinc aberant millia sena boves?
Cetera quid memorem, quae te abscedente peribunt
Commoda Campanis, quaeque manente manent?
Nec decora illa loquar, tua quae sunt propria, summum
Doctrinae culmen, flumen & eloquii.
Campanas utinam miseratus CAROLVS oras,
Nutu quo solitus concutere imperia,
Capyadis donet te longius; atque togatae
Quae tibi concessit praemia militiae
Augeat in majus, FRANCISCE, ac dicat: HABETO
REGNA FORI, ATQUE TOGAE TE MANET IMPERIVM.

IV. *In Campani Amphitheatri laudem.*

Aere quae vacuo cernis pendentia saxa,
Et male congesta rudera magna strue,

Clivorumque orbes, quos graminis herba pererrat,
 Horridaque indecori germine dumus habet.
 Hic astris propiora reflexilis amphitheatri
 Culmina se aëriis nubibus abdiderant.
 Campana his plebes gradibus, sanctusque Senatus
 Vtriusque illecti muneris illecebris
 Plaudebant, seu cum diro Sammite Secutor,
 Cum Threxe aut Gallus compositus batuat:
 Seu Myrmillonis carmen, NON TE PETO, PISCEM
 GALLE PETO, QUID MÆ GALLE FVOIS? canitur.
 Millia seu, quotquōt fictis rudis instruit armis,
 Committi placeat densa humeris paria.
 Pegmata quid memorem modo contingentia caelum,
 Repere humi nexus mox resoluta suos?
 Cernere jam videor rictu indignante leones,
 Audire atque urfos, ac genus omne foras
 Prendere, & indomito spumas agere ora cruentis.
 Vae, fontes animae, quos fuga nulla tenet!
 Quis tamen, o cives, furor est haurire cruorem
 Luminibus, caedem & plausibus excipere?
 Verum olim haec fecerint. Nam quo nunc ludicra, quo nunc
 Tot pompae, quo tot nunc abiire necesse?
 Nec caveae de mole super (nisi triste cadaver,
 Et bustum, cineri quod parat ipsa suo) est.
 Quaeque supercilio feriebat sidera, turpe
 Heu jacet, agricolae ludibrium & pecori.
 Quid tantum mortale genus virtute superbis
 Aut opibus? quid non preterit hora fugax?

V. *In idem.*

Sic igitur Caelo quae gessit inclyta moles
 Surgere, nunc terris occubuisse dolet?
 Semisepulta solo squalent simulacra, jacentque
 Rudera ruderibus facta sepulcra suis.
 Gloria Campani sic decidit amphitheatri,
 Tom. II. F Quo

Quo nihil in toto pulchrius orbe fuit,
 Moenia sic Babylon, sic diruta templa Quirinus
 Vidit, & excidium Troja perusta suum.
 Pyramidum pars magna, Pharos Pharos illa, colossus,
 Quem Rhodus aequavit nubibus, en ubi sunt?
 Omnia ad occasum properant, rapit omnia tempus,
 Molibus & magnis magna ruina manet. (1)

VI. *Aegrotante Xaverio Panfuto.*

Quid mihi Musa procax centum hendecasyllaba, amaro
 Perque fricata sale, effundere posse negas?
 Quis urbem crasseque aura pinguique Minerva,
 Invisam Superis terrigenisque canam?
 Quis tua dedecora, ac molles ignobilis ost
 Delicias, caelumque exitiale bonis,
 O Capua, (haud etenim jam dissimulare voluntas)
 Insequar, & neque o malefida lares.
 Haecce vana, scelesti, virumque immite sepulcrum
 Haecce Panfuto reddere pro meritis
 Quivisti? nec torva tamen rubor inficit ora?
 Et potes, o stolidi, attollere ad astra caput:
 Ex illo Panfutus enim (meminisse potes nam)
 Tempore languescit, quo tibi jura dedit.
 At chorus Aonidum vatumq. aeterna potestas
 Haud oblita tui est, improba, flagitii.
 Nonnisi mordaci satyra cantabere semper:
 Haec tibi debentur cantica pro meritis.

VII.

(1) Epigramma hoc vix parce detortum Galeotto Iuniano tribuitur in Prolegomenis ad Mut. Camp. Amphith. Titulum. Sed quum ipsissima Auctoris nostri manu exaratum inter reli-

quas ejus schedas se nobis dederit; Mazochio potius adjudicamus; praesertim cum stilus ipse Mazochianas omnino veneres sapiat.

VII. *Ad Nicolaum Villoam.*

O Mihi si linguae centum sint, oraque centum
 Utque mihi ingenii vena beata fluat,
 Queis, Villoa, queam Latias vulgare per urbes
 Magne tuum nomen, parque referre pari;
 Egregio qui me dignatus carmine bis iam,
 Carmine quo memet major & invidia
 Crescere iam dudum, videorque assurgere terris,
 Iamque caput caeli nubibus inferere.
 Sed mihi hebet sensus, hebet & mens, tardaue & infans,
 Lingua tui quidquam grande sonare nequit.
 Ast animus nescit Lethaei fluminis haustus,
 Ac mihi fixa manet gratia pectoribus.

VIII. *In Nuptiis Excellentissimi D. Petri Mazzaccara
 Ducis Castri Garannonis Ripae Candidae & Mas-
 sae Lombardae, & D. Annae Marciantis.*

MARCIANTEM ducente PETRO, subjecit amanti.
 Ecquis utrique faces? dic age. Castus Amor.
 Conjugii qui deinde auspex? Themis, arbitra legum.
 Pronuba quae? haud Iuno, Pallas at ipsa fuit,
 Nil rata Cecropiis rebus mage profore, quam si
 Conveniant unum in ramus uterque satum.
 Quis mihi nunc referat, qui de insitione beata hac
 Proficient nati in nomen & omen avum?
 Exoriare aliquis puer ah! MAZZACCARA, avita
 Arte decus veniens restituisset foro.

IX. *In Nuptiis Antonii Carasae Trajecti Principis &c.
atque Hippolytae Catanaeae ex Sannicandri
Principibus &c.*

Magnanimi heroes, quos dulcia sub iuga cogit
Dius amor, nullo dissolüenda die,
Antoni Carasa, atque Hippolyte Catanaea,
Et proavûm illustres artibus, & propriis,
Quod felix faustumque fiet, tandem o date dextras;
Atque animos nexu adstringite tergemino,
Nec mora, lux aderit, qua cretam sanguine utroque
Almae Parthenopes in genua atque sinum
Funderis subolem, quae damna resarciat acti
Temporis, antiqua & saecula reducat avûm:
~~Saecula~~ virtutum exemplis foecunda, nec ullis
Constuprata dolis, faedave flagitiis;
Quae egregios tot Carasas, quae tot Catanaeos
Publica terrigenum in commoda protulerunt.

X. *Adventui (1) Caroli Borbonii utriusque Siciliae Regis
in suum a se restitutum optimisque legibus consta-
bilitum Gymnasium Felicissimo, Gymnasiarcha
& professores devoti numini majestatique
ejus grati animi Monumentum D.D. (2)*

Hoc quoque remigibus pennis connixa per orbem,
Fama, Scholaeque refer BORBONIDAEQUE decus;
Qui post edomitos armis victricibus hostes,
Compositumque suum legibus imperium,

Bar-

(1) Cum Rex clementissimus Gymnasium ab se restitutum visere continisset, effecissetque denique ad III. Kal. Novembres 1736: Professorum ordo hoc epigrammate, tantum non tem-

pore effuso, beneficentissimo Principi praesenti gratiam testatus est.

(2) Ipsissimus hic est titulus ei Epigrammæ, quum primum prodit, praepositus.

Barbariem Herculeo violentius impete adortus,
 Vinci eluctantem contudit acer hydram.
 Tecum eat ore tuo hoc tibi testis, Fama, Lyceum
 Averruncata nobile barbarie.
 Hinc effata, bonas quot juverit artibus artes
 ILLE; perorabis denique in huncce modum:
 Atqui etiam, dices, Musarum claustra laresque,
 CAROLE, pergis itu nobilitare tuo.
 Poenitet, hoc falso quod de fene pervulgarim
 Dulichio., [1] hunc docilem in Parthenopae isse scholam:
 Quod mihi nescio quis mendaci aecredidit, atque
 Inscriptit titulo, cui cave ne ulla fides:
 Vera fides haec: Tu, Rex, primus (an ultimus, absit
 Augurer) unde rei Palladiae stet honos.

XI. *In Nuptiis Antonii Capycii ex Principibus Canusii,
 & Tereſſae Filingeriae ex Principibus Arianelli
 anno 1737.*

HEM remoraris adhuc. residem per devia Padi
 Securumque tori, Musa, CAPYCIADEN?
 Ecquando hunc faciet generosa prole parentem
 Heroina, animo par et imaginibus?
 Gentis Capyciae haec Genius vix dixerat: ecce
 Aurea contorſit ſpiculâ juſſus Amor,
 Te CANYSINE petens, te FILINGENIA, ſancto
 Iuſturus demitos ſedere connubii.
 Ille ſub haec Puer inſit: HABENT. Non deerit ab iſtu hoc
 CAPYCIIS ſplendor claraque poſteritas.

XII. *In idem.*

NVBE PARI vetus eſt monitum, at ſervabile tantum
 Vulgo hominum, eximiis haud itidem ingeniis.

Nam

(1) Videſis Petrum Laſena in Gymnaſ. Neap. cap. 1. pag. 5. & ſeq.

Nam, cedo, quae poterat Canusino digna Poetae

Iungier, aequalis praedita dote animi?

(Cetera ut, Antoni, taceam decora incluta, per quae

Infra te positos, imperiose, premis)

Parte alia mihi dic, heroidi quemne maritum

Tradere erat parili jure Eilingeriae?

Innumeras quamvis fundat sine fine puellas

Parthenope atque viros; heic tamen haeret aqua:

Ni saltem opportuna aliquem mihi machina divum

Demittat; nodus vindice dignus enim est.

Quare ades, o puer Arcitenens, i nocte Capycium

Teresiamque pari foedere, quando pares.

At vos, Par juvenum, longum mihi vivite in aevum

Concordes, similemque edite progeniem.

XIII. Ad Benedictum XIV. quod ad Pontificatus apicem fuerat evectus anno 1740.

A Egeria dictante Numa, Arcitenente Lycurgus,

Se simulat Rhettas composuisse suas:

Ni faciant, Romanus atrox, pubesque Lacaena

Abnuerant legem subdere colla jugo.

At tibi, dum folio Pater edis jura Quirino,

Dextrum cana Fides Relligioque latus,

Taezum Iustitia, atque genus Sapientia divum,

Stipat, abest nunquam & Suada magisterio.

Hae tibi promenti jura adstant, inque susurrant

Auribus; auctores hosce citare potes.

Flaminiam arte hac pendentem modo ab ore tenebas:

Nunc stupet ad tonitrus orbis uterque tuos.

XIV. *Ad Illustrissimum Theophilum Maurum, in laudem Ioannae, ac Diomirae Vezzi Virginum Venetarum, quo die coenobitica vota intra Divi Iosephi claustra Venetiis professae sunt.*

MAure fori patriaeque decus, quo carmine taedas
Ornem has? Quando intas, hoc breve carmen habe:
„ Ioanna ac Diomira, pares quod non reperissent
„ Orbe viros, inhiant, Christe, tuum ad thalamum.
Vel si hoc non satis est, quid erit satis? Accipe porro,
Plura petis quoniam Theophile, & hoc aliud.

XV. *In idem.*

SVadet amor Genitoris, opum vis, formaque, & aetas
Florida, inire tori foedera Vezziadas.
Hanc illamve sibi sponderier & prece & auro
Ambit, Penelopen ceu, novus usque procus.
At velut inconcussa niget Marpesia cantes,
Quae frustra hiberno tunditur aspra salo:
Vezzia sic proles terit omnia calce superbo,
Se contra obfirmans gaudia conjugii.
Ambarum siquidem mentem quatit incola Christus.
Imperio, & pectus religione gravat.
Nec nisi dia placent connubia: sola recurrant
Claustra: Dei Vigenae nubere fixum animo est.
Sicque fit. En almo junguntur Flamine dextrae:
Adstat Amor, juxta & pronuba Virginitas.
At Superi macte esse velint par nobile tanta
Virtute, & plenis lilia dent manibus,
Lilia, quae aetheriis vernant sine fine viretis:
Personet aethra: Ades, o castae Hymenaeae, Hymen.

XVI.

XVI. *In Nuptiis Michaëlis Medicei Principis Octaviani, & Carmelae Philamarinae ex Principibus Roccae anno 1744.*

RECTE habet; ac Superi, MICHAEL, incoepa secudent,
 CARMELAMQUE tuam divite prole beent:
 Quam tibi quaerenti vitae thalamique iugalem
 Haud temere obiecit fors, neque caecus amor;
 Sed generosa domus, sed virtus nescia sordis,
 Sexuque ingenium majus, & alma fides.
 Haec & plura tuam decorant quae PHILAMARINAM
 Ornamenta, MICHAEL, sub juga te impulerunt.
 Sis felix, reparans damna ultima gentis ad Arnum;
 Sitque usque heroum stirps MEDICAEA ferax.

XVII. *In Deiparae laudem pro Colonia Aletina anno 1744.*

DVM graditur primaeva lues furiata per orbem,
 Ceu laetam turbo quum ruit in segetem,
 Et Davidigenas ipsos arrodere priscus
 Anguis hiat, taetro virus ab ore vomens:
 Non tulit omnipotens, Acherontaque minatus
 Monstro: hinc abistas, tristis Erynnis, ait.
 Tune impune queas communi involvere clade
 Germen Ieffaeum, caelibe Flore tumens?
 Atqui erit ille dies, quum germine prodiet illo
 Flos, unde exsiliet tot medicina malis,
 Quot peperere olim veteris contagia fraudis.
 Tu ne, unde exsistet vita, maligne neces?

XVIII. *In Eandem, anno 1745.*

QUOD miseri serimur vitiosa ab stirpe, paterna hinc
 Illuvies hominum corripit omne genus.

Nec

Nec fugere evaluit veteris contagia fraudis
 Sanctus Enoch, Elias, Threnologusque Senex:
 Non suboles Zacharaca (dedit cui Gratia nomen)
 Ioannes, quo non major in orbe fuit.
 Divina sed lege luem vitasse veneni
 Non nisi Virgini adhuc, Diviparaeque datum .
 Hipponensis enim valeat constetque necesse est
 Dogma Patris, tali qui utitur elogio :
Exoritur quoties peccati quaestio, semper,
Virgo Diviparens, excipere mibi . (1)

XIX. *In laudem Io: Baptistae Bottii Oratoris sua
 memoria facile principis anno 1747.*

QValis inaccessible rupis de vertice, summo
 Cum sonitu per tot saxa fragosa ruit
 Nilus, & avulsas trahit ab radicibus alnos,
 Et fata limosa fertilitate gravat:
 Bottius irriguo linguae sic permeat amni
 Pectora, ad arbitrium flectit & illa suum;
 Quoque libet sibi cumque, rotat mortalia corda:
 Injicit atque malis frena cupidinibus.

XX. *In Funere Antonii Magiocchi Regii Consiliarii
 anno 1749.*

LEGIFERAE dilecte Deae dulcissime rerum, &
 Grande reis columen, jamne MAGIOCCHÆ jaces?
 Iamne tuum stamen gaza pretiosius Inda
 Dissecuit bifida forfice Parca procax?
 Non rebar de te huic tantum licuisse, ni ad aures
 Vatum turba meas flebilis accideret:
 Vatum turba sui ex obitu gemebunda parentis;
 Queis focium in questus me dare cogit amor,
Tom.II.

G

Pri-

(1) D. Augustinus lib. de Nat. & Grat. cap. 36.

Priscus amor: vocem at dolor intimus intercludit,
Singultire finens, fingere verba vetans.

Quocirca vix hoc tremulis lacrimabile carmen
Inscribam digitis in lapide ipse lapis:

DORMI, SANCTE SENEX, REQUIES CVI PARTA LABORVM:
NAM PATRIAE ET POPVLIS ADVIGILASSE SAT EST.

XXI. *Sub effigie Nicolai Capassii.*

COnstans, acer, atrox, totus mens, totus acumen;
Haec animi facies, haud moror ora viri.

XXII. *In Nuptiis Thomae Caraccioli, & Hippolytae
de Dura anno 1731.*

ΘΩΜΑ τρισμακάρισε, γαμήλια δεσμ' υποδύνων,
Εὖ γε σὺ κερίδι'ν τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλες,
Μνώμενος ΙΠΠΟΛΥΤΗΝ, μαλ' ἀραρήαν πραπίδισσι
Παρθένον, ἀγλαίη καὶ γενεῇ κατὰ σε.
Τῆς ἔ' λαμπρότερον φύσις ὥπασε τεχνησσοῖ
Θαῦμά τι μαρμαρυγῆς ἀνδράσιν εἰτοράων.
Τῆς καὶ ἐνιγναθμοῖς αἰδῶς ἐρυδαίνεται, οἶη
Περφύρα, ἣ σίβδης κόλπος ἔχει χροῖην.
Τὴν ἔτ' ὑφραδίης ἐπιδεύεα ἔτε νόοιο
Παρτοίας τέχναις Παλλὰς ἔδωκε μαθεῖν.
Αἰνέω, ὅττι τοῖη, ΘΩΜΑ, τὴν νύμφαν ὀπίγεις,
Οὐκ ἀδετῶν τρετὶ Ησιόδειον ἔπος,
Ὡς ἂν τι γυναικὸς ἀνὴρ λήζ' αἰμεῖται
Κεδνῆς, ἔτε κακῆς ρίγιον ἄλλο πέλει.

L Y R I C A

I. *In Nuptiis Caroli Borbonii, ac Reginae Amaliae
Valpurgae ad Virum amplissimum Cajetanum Bran-
conium ejusdem Regis Caroli in Ecclesiasticis,
& Gymnasii Neap. negotiis a secretis.*

A V R O R A B O R E A (1).

TVtela, Cajetane, fida nobilis
 Oti studiis clarissimae
 Urbis, joci lususque quam non dedecent,
 Caelo juvante scilicet:
 Tibi quando currunt mille vena divite
 Notanda cedro carmina,
 Quis plaumat haec & postera aetas (ceteras
 Nam mitto nunc miras opes
 Tui ingent) sed quando vates tantus es;
 Idemque lateri Regio
 Iuxta assidens, mea numina vides proximas:
 Quis te valentius potest
 Laudationis orsa tanta invadere
 Timenda plus Maleae sinu,
 Syrtive, & intemperie atrocis Adriae?
 Nam me quid urges, o bone,
 Senio gravem & macie strigosum lurida,
 Quem pallor ater inficit,
 Furvoque sonipede obequitat mors imminens,
 Quem gelidus in praecordiis

G

2

San-

(1) Quae visa fuit medio ferme
 Decembri anni 1737. perpaucis ante
 diebus, quam nuntius felicissimus affer-

retur desponsae Regi nostro Reginae
MARIAE AMALIAE.

Sanguis per avia CAROLI laudum vetat
Audaacter ire? quid prius,
Quid deinde sequar, aut unde captem exordia?
Absterret irremeabilis
Error volentem in limine pedem figere.
Hinc bella militata tot,
Vnoque terra Italia, terra & Trinacris
Recepta Martis impetu:
Stabilita at illinc regna pacis artibus,
Resque ordinata publica,
Tum litteris extorribus lari suo,
Vnde exfulabant, redditis
Auctisque; tum etiam legibus: quibus tamen
Et qualibus, Di, legibus!
Severitatem ut mollitudo temperet,
Nec vero semper lenitas
Eat revulsum disciplinae robora.
Iam laxiorem quid loquor
Annonam, itumque semper inopiae obviam?
Tum quousque profectum in foro est!
Refectus ille est quando inextricabilis
Ex flexuosis formulis
Maecander aptus atque nexus, enecans
Te, litigator, antehac.
Proh! quae fides iudicibus, abstinentia,
Integritasque! Nulla sit
Finis profecto orationi, si velim
Rei salutem publicae, &
Felicitatem temporum, per singula
Eundo, comparare cum,
Quae tenuit ante miseria: tanti est vigil
Tua, Magne, providentia,
Tua pietas, tua munifica clementia,
Et Regiae artes ceterae,
Per quas fatigas ora te volentium
Transmittere in saeculum sequens.

At

At illud unum [pace dixerim tua]

Rex CAROLUS, unum maceror ,

Quod tanta virtus , vidua & orba quamdiu est ,

Nulla virens propagine ,

Vt pulchra sit , non at peraeque commoda est .

Viti maritalae populi

Nubunt , & ulmi , haud profuturæ caelibes ,

Superba nec palmam coma ,

Admoveris ni comparem dulcem , juvat .

Nec alia mens est Martiis

Leonibus, volucris & ministro fulminis ,

Quam genus uterque ut regium

Firmet , vacet nec aula successoribus .

Quo tendis ultra , aut quid struis

Rex Magne ? nec moliris ipse pro tuis

Caris laborem heredibus ,

Qui aulam labantem fulciant , qui tot grave

Provinciis sceptrum terant ?

Quis finis erit , aut solitudini modus ?

Quid denique morae est , quominus

De sanguine petas undeunde heroico

Heroidem parem Tibi

In imperiique regiaeque commodum

Ruituræ , opem nisi afferas ?

Fallor ne ? ludor amabili anne infania ?

Subest an aliquid ominis ?

Certe ardet aethra de Boréo cardine ,

Iniit ut intempesta nox ;

Quantum nec ardet officina Lemnia ,

Violens nec Aetna fervidis

Lucet caminis , aut, Veseve, diffilis

Ruptis hians fornacibus .

Quis pulsat astra at ejulatus interim ,

Miscerier terrae polum

Querentium , excindique mundum funditus ?

Ah ! ne ille sit rogos ultimus ,

Ma-

Manere quem docemur orbis machinam

Vatum sacrorum oraculis ,

Minimeque dubia Stoicae sectae thesi !

Ah ! ne favilla extrema sit ,

Elementa quae reducat in vetus chaos !

At quidquid istud denique est ,

Non de nihilo id est , quod flagrat Septemtrio ;

Si stat modo omni fides ,

Nec tua timet tonitrua necquiquam , Pater ,

Aegrum genus mortalium .

Nec ardua est conjectio visi , Oedipó ut

Similive conjectore res

Egeat . Salutem (at fletu iners abiste sis

Vulgus , canente arcana me

Consilia Divum , nec ululatu obtundite)

Salutem at , inquam , protinus

Portendit Arctos , unde lux haec exsilit ,

Seu flamma , seu vocarier

Aurora amat Boréa , seu quo nomine

Res cumque vult signarier .

Accipimus omen . Tuque salvebis mihi

Remora Septem in ultimum

Tellus Trionem , volvitur ubi Albis pater ,

Regnator Albis amnium ,

Violente morfu stirpium & agrorum rapax .

Te namque , terra o Saxonis ,

Foecunda terra heroidum & viraginem ,

Te matre pullulavit haec ,

Seu Nympha vult , seu diva nuncuparier ,

Vnde in medullas Regias

Flamma influens depascitur Ducis animam ,

Securus ante qui tori ,

Nunc animi inops , desideriique vi impotens

Pulchris dat operam liberis .

At salve , AMALIA , ocelle flosque virginum ,

Origine Vitikindias ,

Vir.

Virtute Amazon, forma & ore Tyndaris.

Tu flamma es ista, tuque lux,
 Tu nocte media fundis Italiae jubar,
 Abigisque opaca e cordibus:
 Tuo igne tactus BORBONIVS heros, sui
 Ardet propagine inclyta
 Vrbes beare regnaque & gentes feras:
 Aurora quin etiam eadem
 Vocere, quae jam nocte deterfa potes
 Diem attulisse saeculo.
 At tu, Puer, quem commodabit primulum
 Aether amicus gentibus,
 Seu Carolus dicere, seu Philippulus,
 Seu Lodoix audire vis;
 Procede: nostra quid moraris gaudia?
 Aurora quando exseruit os;
 Super quid aliud denique est, nisi ut dies,
 Dies serene illuceas,
 Dies dature ferreae finem; sub haec
 Et aureae aetati initium:
 Vidisse te mercarier magno velim;
 Votis potitus nil morer,
 Mea fila quin rumpentibus sororibus,
 Desideri excedam satur.

II. *In laudem Benedicti XIV. ad Romanam Cathedram
 erecti anno 1740.*

Quod sit bonum faustumque, Aaron jam tuus,
 O Roma gentium arbitra,
 Aaron tuus repente Dii Flaminis
 Vocatus impetu, viden
 Ut ecce Sanctuarii limen sacri
 Plenus subit fiduciae!
 Vtrumque delibutus ille tempus est
 Non merce odora, quam Syrus

Inau-

Inauspicata vexit institor rate ;
 Caelestis at sapientiae,
 Prudentiaeque juris , & quantum artium
 Veteres Athenae jactitant
 Onyche referta, non sine thymiamate
 Fidei, Speique, & igneae
 Diviniore Caritatis unguine,
 Omnisque virtutum chori,
 Quarum Bononiensis aeger accola
 Rheni locuples testis est,
 Testabiturque, culta dum novalia
 Amnis protervus opprimit,
 Ocnique domus sua damna luxerit, unice
 Satu ah ! beata PROSPERI :
 Tuque adeo easdem, Roma, laudes conscia
 Majore concines tuba.
 Verum quid hisce commemorationibus
 Obtutui moram fero ?
 Epigramma cernis illud inscriptum notis,
 Quas credis ignorabiles,
 In lamina, tiara quam fixam gerit ?
 Scriptum quid notet, rogas ?
 SANCTVS DEI est, renidet augustissima
 Quod fronte. Gemmarum at nitor
 Proh qualis atque quantus e duodecim
 Lapidibus emicans, hui
 Perstringit aciem luminum ! nec sum potis
 Contra tueri. Tum quid hoc
 Demum est, quod VRIM, quodque THVMIM dicitur ?
 Rogas ? breviter edisseram.
 DOCTRINA VERITASQUE Romano id sonat
 Sermone, per quas abdita
 Responsa scilicitantibus promet PATER.
 Audin quot in ima tinniant
 Ponderis ora appensa tintinnabula ?
 Tot nempe linguas garrulus

Tot

Tot ora solvet praeco sermonis sacri,
 Vel Stentore eloquentior.
 At etiam in humeris nomina gerit duodecim
 Insculpta gemmis hinc & hinc:
 Quia nempe CHRISTI in munus is Vicarius
 Successit; orbem hinc bajulat.
 BENEDICTE, Felsinae modo, nunc mundi capax,
 Atlante quem major geris,
 Vivas diu, vincasque quidquid fraudis est
 Obstantis antiquae super,
 Seu per Boote sub pruinoso plagas,
 Quas tol iniquus aspicit,
 Quas aut hiulcat impotens sitis. Vndique
 (Sic auguror: Deus annue)
 Pastore sub de gente LAMBERTINIA
 Regnato CHRISTIANA Pax.

III. *Francisco Bonocorio Philippi & Caroli Regum
 Regniq. Archiatro, in laudem Vincentii Hippolyti in
 Sanctae Clarae Praesidem nuperrime renunciati.*

FRANCISCE, tua quem suspicit Neapolis
 Ab eruditionis &
 Scientiarum penore locupletissimo,
 Nemoque quod te inimicior
 Praejudicatis est opinionibus;
 Tuae ut artis sollertiam
 Summis probatam Regibus Gnato ac Patri,
 Et ceteram mentis tuae
 Plane beatam opulentiam meae interim
 Infantiae culpa premam:
 Scis quanta consecuta gratulatio est
 Politiorum (namque nil
 Incultiorum ignobilem moror gregem) ex
 Promotione in Praesidem

2 Tom. II.

H

Sa-

Sacratioris Sanctae Clarae Confili

Viri omnium doctissimi

Vincentii solideque consultissimi ;

Non inficeto huic saeculo

Qui ut Marcus alter Varro lumen allinit ,

Quolibet in uno Roscius

Scientiarum genere . Cui quid imputent

Vitii , animos adverte sis .

Hunc criminantur factitasse carmina ,

Castrisque Musarum in sacris

Meruisse plura fortiter stipendia :

Eaque gratia minus

Huic dignitati credidere idoneum .

Pro temporum conversio !

Tantone , vates , vestra apud hos ludibrio

Impune majestas fiet ?

Nec plena rure horumce devovebitis

Diris capita , ut mos vester est ?

Cessant Lycambei quid adhuc senarii ,

Quidve Hipponactei modi ?

Tantamne sumserint sibi arrogantiam

Pragmatica turba rabulae ,

Sublinere ut os sanctis Camoenis ausa sit ,

Queis jura constituta sunt ,

Legesque latae carmina inspirantibus ?

Etenim quoto cuique latet ,

Oratione non pedestre (recentior

Quippe haec) sed adstricta modis

Antiquioribus esse civitatum

Sancita jura ? scimus ut

Moses , Lycurgus , & Charondas , & Solo , &

Vt quisque leges condidit ,

Mundo poësi innotuere , nec minus

Hac parte censiti sophi .

Illi incitati pectus oestro amabili

Interpretabantur Dei

Sen-

C A R M I N A .

59

Sensa abdita immortalis, haud sine tibiis,
 Citharisve perstreptibus;
 I nunc & Hippolyto erudito verte sis
 Sanctam pœsim crimini.
 Sinamus at istos sibi placere in sordibus,
 Libenter & miserrimos
 Ringique rumpierque. Scis, Francisce, scis
 Hippolyti acumen ingent
 Probasse se Tanusio & Montalegrio,
 (Quibus viris, pro! qualibus
 Sublimiorum mentium aspris coribus)
 Qui hunc tradidere Carolo.
 I nunc, & adversum audeas tantos viros
 Regemque, livor, hircere.

IV. *Eidem* .

FRancisce, quorsum haec pertinet defensione
 Adversus Hippolyti instituta malevolos?
 Huc nempe. Germanus mihi est fraterculus,
 Cognominem, Francisce, quem nosti tibi.
 Confecta post humaniorum humaniter
 Hic litterarum & naviter stipendia,
 Dein militavit legulejus in foro
 (Carus Regenti, dum vigit, Biscardio)
 Iam septimum hoc lustrum, & quod excurrit: tamen
 Vix est ut hilum in re paranda effecerit,
 Natis onustus undecim viventibus:
 Tres namque morbus strangulavit filios,
 An arta res domestica, haud dicere habeo.
 Obrundis, ais, expostulationibus:
 Effare tandem. Tradere hunc Vincentio,
 Forense regnum qui obtinet, utinam velis
 (Si qua familiam detur alere lautius)
 Francisce, permagnam a me mīeris gratiam:
 Tecum agere conantem haec pudor subrusticus

H 2

Saepe

Saepe abstinebat. Ad ultimum, ut ait Tullius,
Epistola haud rubescit. Tu vale & fave.

V. *Carolo Borbonio magno & invicto Regi, quod
Neapolitanum Lyceum praesentia majestateque sua
compleverit Gymnasiarcha & Professores
anno 1736.*

DEmisse Caelo, Rex, in hujus commodum
Regni, propagis armipotentis furcule
Sirenis almae confite latifundiis :
Qui flore in aevi non modo vernas floribus,
Subole sed etiam fructuum maturrima :
Tibi hasce grates dedicamus, praevias.
Exercitationum cursui annuo ;
Profugas (malum !) quod exsulesque litteras
Tui receptas in patrocini fidem
Lautiis benigne praebitis ornaveris :
Et procul abacto hinc milite procacissimo,
Suis Camoenas sedibus restitueris ;
Novas cathedras insuper fundaveris ;
Novasque leges imperiosus scripseris
Pro horumce captu & instituto temporum ;
Tum, in quo caput erat, commodus salaria
Nobis opimiora, quam ante feceris.
Harumce rerum gratia, Rex optime, &
Promotionum, queis (tuus ut mos) demeres,
Qui plura in umbra hac fecerint stipendia ;
Et gratias tibi maximas persolvimus,
Memorique major gratia pectore habebitur,
Quoad haec palaestra tuis refecta sumtibus
Superba cellum nubibus inferet caput.
Vt te, supreme Rector, avidis sensibus
Diligimus ! ut tuo studentes nomini

Ma-

Majora sceptrā potentiamque totius
Optamus orbis & adprecamur undique,
Qua torret Indos sol, riget Septemtrio,

VI. *In idem.*

PAUllum resiste, viator; etsi is properiter,
Velut obiturus illico vadimonium.
Paucis te volo: deinde prosilias licet,
Quantum aut flagello equus incitatus provolat,
Vicinia aut strepente fur se proripit.
Haec templa, cultu quae nitescent regio,
Caelique terrarumque pollens incolit
Regina fata divinitus Sapia.
Quae pulsa dudum adversitate temporum
Hinc sordidata & obvoluto vertice
Abscefferat, ter undecim ipsis messibus
Circum fora errabunda circum & compita,
Sectante pone Virginum famulitio,
Artes scientiasque quas appellitant,
Accepta nullo nisi precario limine,
Haud digna tanta Diva contumelia.
Sed quaeris, hera quae in regiam reducta sit?
BORBONIDAE id opus est CAROLI, cui Neapolis,
Cui paret ora Trinacris: eo miserito
Indignitatem casuum mortalium,
Hera cum suis decentibus pedissequis
Tandem repetiit pristinos lares suos,
Quos conspicias Regis indulgentia
Tanto nitorem, qui prius erat, vincere,
Quantum hostis in eos sibi licere siverat.
Hac gratia hae rite celebrantur feriae.
Iam nosse aves, quis multus ille coetus est
Dominae cathedram ultro citroque obambulans;
Distincta variis concilia coloribus.

Pau-

Paucis habeto (1). Factio una est Ruffea
 (Nam fluxit ex Quirite circo huc usque mos)
 Eademque Prasina, culta linguis; ceterum
 Addicta controversiis legalibus.
 Huic cohorti maxima est dignatio,
 Quia pollicetur in urbe tricosissima
 (Vbi nempe regni iudicis conventus est)
 Panem atque honorem, ut vulgus hominum praedicat.
 Dein pulvis alba internitente lacinia
 Amicit & Geometras & Philosophos
 Color & Theologos: familia haud ignobilis.
 Hanc excipit subinde Veneta factio
 Flavo renidens & colore thalassino,
 Quae paeonias complectitur scientias,
 Infesta at infert signa ius docentibus:
 Nam vexat aemulatio partes duas.
 Vetat referre plura tua properatio:
 Nam multa restant: ori at obdura pessulum.
 Nescire te haec nolebam: abi nunc: ilicet.

VII. *Litterarii conventus dimissio.*

QVosque tandem garrulis cationibus,
 Miseri sodales, male operam colluditis?
 Quis finis? aut quo obtundere usque pergitis?
 Ambae audiendo obsurduerunt auriculae,
 Nates sedendo obtorpuere: at capitulum
 Aegre est duas prope horas auscultantibus.
 Vos clamitando ad usque ravim gutturem
 Ieiuniosum perdidistis: ceteris
 Venter per istas esuriales ferias
 Nonnisi fame & jejunio est fartissimus.

Ohe

(1) Persequitur Rectorum Pro-
 fessorum classes ab insignibus interno-
 scendas. Induunt enim Neapolitani
 Professores in Academiae celebritati-
 bus pallium (*Capirotum* appellant)
 variis coloribus, ut auctor luculente

edisserit, distinctum: quod institutum
 ab Hispaniensibus Academiae nostram
 primitus accepisse constat, quamvis
 Poeta iure suo rem ad Romani Circi
 factiones revocet.

Ohe fatis jam est : ori pectus obdite .
 At vos viri clarissimi atque maximi ,
 Domuitionem cogitate : ad haec precor ,
 Aequi bonique consulite hasce ineptias :
 Tum , si qua placuimus , valet ac plaudite .

VIII. *In S. Protomartyrem Stephanum .*

SAxorum crepitantium
 Crebro dum Stephanus grandine tunditur ,
 Tentaturque adamantina
 Vis illa indomiti pectoris acribus
 Frustra pulsibus arietis :
 Visa est fiderei lucida liminis
 Verso cardine protinus
 Inviato Pugili janua pandier .
 Tum vero aetherii sinus
 Spectari procul , atque atria fulgida ,
 Caelique omnipotens domus
 Ex imis penitus visa recessibus ;
 Affundi & jubar igneum ,
 Victurum tenebras vel Stygis horridae .
 Hic monstrum insolitum , novum ,
 Ingens (non alias terrigenis datum)
 Oblatum Stephano . Illicet
 Dum fari incipio , abscedite perfidi ,
 Linguis & faveant boni .
 Longis ordinibus Caelicolae arduis
 Primum assurgere sedibus
 Vna omnes : trepidis tum agmina motibus ,
 Robur militiae poli ,
 Nunc his , nunc magis discurrere partibus
 Illis , quo vocat impigros
 Nimirum obsequium iussaue regia .
 At vero unica Virginis
 Intactae Suboles , atque eadem Patri .

Aetern-

Aeterno aequa Potentia

Christus, spes hominum & gloria Caelitum,

Ad dextram Patris adstitit,

Immensi radios luminis exserens:

Pascit dumque animum sui.

Necnon lumina certamine militis;

Huic vires simul addit, &

Sublimes animos, armaque suggerit,

Queis vim proterat hosticam,

Palmamque emeritam interitus auferat:

Tum ad consortia gloriae

Adsciscens, superis coetibus inserit,

Ac magni Pugilum agminis

Dat vexilla ferat scilicet, & suae

Vitae prodigus induat

Princeps martyrii nomine lauream.

IX. *In funere Cajetani Argenti anno 1731.*

VRbis Chalcidicae decus,

O Ventura, rei haud ultima publicae

Lux; quem rebus in arduis,

Auctorem minime nactus inutilem

Augusto ut lateri haereas,

Ac summo assideas Concilio Patrum,

Caesar legit: avunculo

Postquam prima togae munera detulit

ARGENTO, ut vice regia

Supremo praebeat Consilio arbiter,

Et lites perimat graves;

Cujus nunc obitum moesta Neapolis,

Et mundi latus omne flet:

Quantum (pro Superi!) deperiit bonis!

Heu damnum irreparabile!

Heu crudele nefas! heu obitum asperum!

Actum

Actum est de omnibus ilicet:

Vno nam Lachesis funere perdidit
 Illum; nostraque commoda,
 Et quodcumque boni est, aut fuit uspiam.
 Luget Curia scilicet,
 Et luget merito: Caussidici silent:
 Sola ac vasta foro omnia:

Tum responsa petunt juris, ut antea,
 Actores, sed inaniter:
 Nam quis legiferam vim ejus, & uberis
 Quis venam eloquii igneam,
 Si non assequier, pone sequi tamen
 Possit? quisve animi impetus
 Haustos aetherii e fontis origine?
 Quis versatile in omnia, &
 Quo fors seu ratio cumque vocaverat
 ARGENTI ingenium sequax?

Affixus pluteo seu solidos dies
 Vellet nectere noctibus,
 Chartisve illinere, aut quid meditarier;
 (Quae putrescere scriniis
 Ecqua est invidia? aut cur forulis latent,
 Possunt quae edita profore?
 At vos ne, tineae, arrodit quidpiam)
 Seu res nunc mage publica

Ad consueta rapit munia, turbidum ut
 Patronum increpitet, moras
 Nectentem miseris garrulitatibus:
 Sive incerta magis liber
 Supremo arbitrio expendere litium.

Numquamne insonet amplius
 Vox vere nimium Argentea, judices
 Quae ad suffragia provocat
 Incorrupta, sacrae oracula proferens
 E mentis penetralibus?

Hem tanta eloquii vi usque carebimus?

Tom. II.

I

O num-

O numquamne tonitrua
 Patres fulminei gutturis anxiis
 Conscripti auribus ebibent?
 Tot noctes vigiles, totque scientias
 Mentis curriculum artium
 Emenfae Herculeis passibus, abditae
 Et quidquid sapientiae est,
 Vno ictu fera mors ergone messuit?
 Quid tantum licuit scelus?
 Sic visum Superis. Hunc ubi ubi tamen
 Caelestis plaga distinet,
 His ipsis studiis, credo equidem, suam
 Mentem oblectat & artibus:
 Sed tanto ille quidem nobilioribus,
 Quo contagia sarcinae
 Nescit corporeae, ac fidere purior
 Astrorum infidet orbibus,
 Lucisque aetheriae vescitur haustibus.

X. In laudem Io: Baptistae S. R. E. Card. Salerni.

MEntem illabere desidem,
 Longaevoque modum pone silentio;
 O Testudinis inclytæ
 Dulcem quae sonitum, Pieri, temperas,
 Huc o, posthabito sacri
 Parnassi aërio culmine, transvola;
 Neu te plus nimio invium
 Delectet nemus, & virginis chori;
 Quia quandoque juvet nigras
 Vulturui falices visere, plurima
 Qui praetextus arundine
 Vmbram commodat & Vatibus hospitam, &
 Rauco non sine murmure
 Imis insinuat carmina sensibus.

Hic

Hic clarum libeat decus
Nuper purpureis Patribus additum
Baptistam fide Teia
Stellis inferere. Atqui hanc, Pater optime,
Tinctam murice Purpuram,
Atque istud capitis Sidonium jubar
Iam dudum tibi debitum
Non fors, aut favor, aut gratia detulit,
Non versutia, & ambitus:
Sed Virtus, Pietas, Relligio, Fides,
Sed sollertia rebus in
Afflictis penitus praesidium efficax,
Sed mens consilio vicens
Te sancto statuit Concilio Patrum.
Te namque horruit Haeresis
Post terga horrificis vincula rudentibus,
Qua monstrum exitialis
Non ullum expuerat Tartarus, urbibus
Quae bacchata Alemannicis
Olim, nunc stolido mandit aenea
Rictu vincula. Novimus
Quantum Saxonis sit tibi in oppidis
Curatum, ut regionibus
Inferres reducem Romuleam Fidem.
At te seu glacie horridus
Albis sepositis detinet in locis
Et Mavortia moenia
Dresdae, sive ferox Austria praeliis
Delectata minacibus,
Te jam purpureo redde Senatui,
Te jam redde Quiritibus,
Et longum o meritis utere honoribus.

XI. *Ad Xaverium Pansutum Regium Consiliarium.*

O Quanta labris Suada subest tuis,
 Xaveri! & ori o qui insidet aureo
 Leposque dicendique dives
 Copia! quae veneres jocosae!
 Quem Gratiarum pulchra decentium
 Stripat corona, interque nitentium
 Sales jocorum, & distionis /
 Mundities sine fuco, & omnis
 Beat bonarum exercitus artium.
 Quid mirum ubi istas insatiabilis
 Affusa te circum juvenus
 Attonita bibit aure voces?
 Seu consulenti haud flexilis arbiter
 Interpretaris jura Senatui,
 Visendus in sella curuli
 Caussidicum increpitans fragosum:
 Sive, ordinaris res ubi publicas,
 Te Pausilypo condis amabili,
 Molli reclinatus sub umbra,
 Qua trepido strepit unda rivo;
 Suras cothurno ut mox tragico impedis,
 Motosque cantas seditionibus
 Ducum tumultus, & cruenta
 Facta, inimicitias, & iram
 Formidolosam, & caede domestica
 Lares madentes: jam liquidum aethera
 Transnasque nubes, adfuturus
 Concilio, metuende, Divum.

XII. *Conquassantibus provincias terræ motibus ad
S. Franciscum Xaverium.*

Vides ut imis excita sedibus
Excelsa nutent culmina montium ,
Xaveri , & ingentes ruinas
Sub pedibus tremebunda tellus
Crebris minetur pulsibus , horridam
Regnisque cladem. Heu parcite , Caelites,
Quibus laborantem tueri
Italiam data cura: tuque o
Francisce, divorum haud decus ultimum
Adiis , & omnes trans mare Ponticum ,
Trans & pharetratos Gelonos
Mitte metus dubiamque mortem :
Si rite festo thura calent tuo,
Si intaminatis fulget honoribus ,
Quam olim sacraverunt parentes,
Ara tuo metuenda cultu;
Assuete fessis auxiliariis ,
Hispane, rebus, (quippe potes Pater)
Vocatus idemque haud vocatus
Sponte subis citior vel aura .
Testes mearum Japones efferi
Sententiarum , regnaque Tartari,
Et fervidis adusta Goa
Solibus, atque Asia indecoris
Exsibilatis religionibus ,
Christi ac recepto dogmate pulchrior,
Ducente non segnes triumphos
Xaverio ex oriente victo .
Hinc te Indus ambit sollicita prece,
Tremuntque ponti litora Serici ;
Gangesque ramentis beatus
Composito veneratur alveo :

Nec

Nec poenitendus te colit Occidens,
Romana quicumque & sacra pectore
Recondit. O Tutela salve,
Christiadi celebranda genti.

XIII. *In Nuptiis Iacobi Milani, atque Henricettae
Caraccioli anno 1725.*

Γενέτεια τῶν Θεῶν
 Ἀνέρων, κορῶν τ' ἀγαυῶν,
Ρόδοεσι ἄμωμε Σειρὴν,
Μέγα γηθέϊσα χαῖρε.
Μέγα συγχάρητε πᾶσαι
Ἐπιχώριοι τε Νύμφαι,
Ἐπιχώριοι τε Πᾶνες.
Ὅτι φαίδιμος ΜΙΛΑΝΟΣ
Πατρίδος τ' ἄδυρμα γαίης,
Καὶ ἐπικλέων πολλῶν
Ἐγάμητε τὴν ἄκοιτιν
Εὐπέπλον ΕΝΡΙΚΕΤΤΗΝ.
Φέρε δ', ἐκ τε παροῦσας, παῖ,
Γλυκερὴν λύρην παράχες,
Καὶ ῥοίοις, καὶ ῥόδοις,
Κ' ἀμαραντίνοις στέφεοσι
Πύκασον τό μευ μέτωπον.
Ἰὺ ὁμόζυγον μελίξω
ΙΑΚΩΒΟΝ, ΕΝΡΙΚΕΤΤΗ.
ΙΑΚΩΒΟΝ ἔν μὲν ἄδειν
Ἐποτρυνέει με θυμὸς,
Τοῦ ἀγήραον κλέος βῆ
Κατὰ τ' οὐρανον καὶ αἶσαν
Ἄμα δ' ἀτόμεσθαι σεμνὴν
Κυάνοφρον ΕΝΡΙΚΕΤΤΗΝ.
Ταχέως δέ μοι πάρεστέ
Ἀγέληδόν σί ἔρωτες
Γεγανυμένοι χορείαις.

Κα

Καθαρές δὲ βέλομ' ὑμᾶς
 ἔμεναι, φρένας τε ἀγνῆς.
 Τί γὰρ ἀπράτεος καί μοι;
 Ἄγετ' ἐν κεδνοῖς ἔρωτες,
 Χαρίτεσσι συμπλακέντες,
 Χαιδανοσφύροισι πόδεςσι
 Χορῶ ἄρχετ' ἀμφελίχτες.
 Ἐγὼ ἄρξομαι δ' αἰοιδῆς.
 Ἐπότρυνε γάρ με θυμός.
 Σὺ δὲ τιμήσσω Σειρήν,
 Ἄμα πᾶσι συγχόρευσον.

C A R M I N V M F I N I S

ALEX.

ALEXII SYMMACHI MAZUCHII
DISSERTATIONES

Tom. II.

K

THE
JOURNAL
OF
THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND
VOLUME 11
PART 1
1881

ALEXII SYMMACHI MAZUCHII⁷⁵ DISSERTATIONES

DISSERTATIO I. DE TYRRHENORVM ORIGINE

*Ad Caelestinum Galianum Regii Sacelli, ac
Neapolitani Gymnasii Praefectum.*

SI cui ad hanc quaestionem universam, quae est de pandenda origine Tyrrhenorum, enucleandam cupido sit eam methodum asserre, quam hujus aevi dialectici ἀναλυτικὴν vocant; ut quod primum omnium in re proposita clare perspexerit, ex eo primum gradum suae indagationis faciens, sic ad alia porro progrediatur: si quis, inquam, sic agere in hoc negotio constituerit; nae is, ubi paullum modo in quantum est Tyrrhenicae ἀρχαιολογίας (antiquitatis) animum intenderit, statim de Oriente occurrentes animo cogitationes habebit. Nec ignoro plures existisse viros incomparabiles, qui negarint fuisse Tyrrhenis quidquam cum filiis Orientis commune. Verum universum hoc genus hominum nihil moror; quorum nonnullos in alterutro, sive in Oriente, sive in Tyrrhenia fuisse hospites, necesse est; alios parum valuisse iudicio; postremo alios, etsi summa omnia in eis essent, numquam tamen ad originum Tyrrhenicarum accuratam indaginem descendisse: quod ultimum de magno illo Bocharto, aut si quis alius aequè eruditus in eadem opinione fuit, intelligi volo. Quum autem Orientem nomino, eas maxime terras intelligo, circa quas versatum est aliquamdiu genus hominum post diluvium, cujusmodi sunt Armenia, in qua

Arca refedit, Affyria, Babylonia, Mesopotamia, Syria finitimaque plures regiones, a quibus ne Aegyptum quidem ipsam sejungendam censeo. Ergo, uti dixi, vix ut Tyrrenos de facie noveris, statim eorum cum orientalibus similitudo ac germanitas in oculos incurrer.

Ac nolo quemquam heic longo sermone defatigare; si singula huc afferam, etiam quae trita sint, aut alioqui γενικώτερα (*generalia*) vel de longinquo petita. Itaque non agam heic de Etruscorum litteris (quas partim antiquis, qui hodie Samaritici vocantur, partim hodiernis Hebraicis characteribus multo equidem similiore deprehendo, quam sive Punicos, sive Hispanicos in nummis obvios) nihil de descriptionis a dextra in sinistram progressu in morem Asiaticorum; nihil de religione, πολιτεία, adhaec artibus atque inventis; quae omnia quum advexisse secum ab Oriente Etrusci videantur, ipsi eadem postmodum Latio tradiderunt. Verum his, quae longiorem, quam pro dissertationis huius finibus commentationem requirunt, aut in totum praetermissis, aut leviter, ubi res tulerit, delibatis; ad ea parumper animum convertamus, quae ita perspicuitate ac luce sua mentem percellunt, ut mirer, si cui aut tergiversandi, aut excipiendi, aut omnino cavillandi futurus sit locus.

Volo igitur in Etruscae linguae vocabula ante omnia potissimum inquirere, atque ex vocabulis de Tuscorum lingua iudicare, quae si tota quanta est Orientem spirat, an erit postea dubitandum, quin inde ἀμείσως Tyrrheni venerint? Duplex autem esse video vocabulorum genus, unum proprium, alterum eorum, quae appellativa vocantur. Atque equidem sic existimo ad hanc quaestionem enodandam longe plus in propriis, quam in appellativis vocibus momenti esse. Non quin plerorumque appellativorum etyma ex Oriente arcessi posse diffidam. Nam contra harum γενικῶν (*appellativarum*) Tyrrheniae dictionum ex Asia petitarum olim uberem catalogum pertextenti mihi subiit illa cogitatio, etiam Latinas voces plane supra quam credi possit innumerabiles, quae idem Latine ac Hebraice significant, initio fuisse Tyrrhenicas;

cas ; earumque usum postea Latinos a Tyrrhenis longe antiquioribus fuisse mutuatos . Nec mea me opinione falsum pluribus confirmatum irem ; si id nunc agerem . Verum ut eo redeam ; plus ajo lucis asserere propria maxime locorum vocabula , quam appellativa : quia quae voces sive in Etruscis monumentis , sive apud grammaticos reperiuntur , de earum antiquitate non constat . Fieri enim potest , ut ea vocabula ultimis reipublicae Romanae temporibus usurpari coeperint , aut etiam sub Caesaribus , quando Etruscorum lingua a primitiva illa , quam secum detulerant ex Asia (novis quotidie , uti fit , adoptatis dictionibus , ac veteribus exoletis) immensum degeneraverat ; id quod ex Tuscis (1) monumentis potest intelligi . At vero ea loca , quae Tusci ante & post Iliaca tempora in Italia infederunt , & quibus jam tum ea imposuere nomina , quae aut perennant adhuc , aut vero apud antiquos leguntur ; ea , inquam , nomina sistunt nobis ob oculos veterem Tyrrhenicam linguam , nimirum eam , quam primo illo suo in Italiam appulsu eloquebantur . At ea locorum nomina (maxime quae constet fuisse antiquissima) si Latinis auribus sunt plane barbara , ac nullam notionem ingerunt ; contra vero eadem ex solis Asiaticis linguis significationes suas locorum ingenio aut eventis consentaneas de-

pro-

(1) Inter locorum a Tuscis habitatorum , sicuti & virorum propria nomina , & inter voces appellativas illas , quae ex Etruscorum monumentorum lectione exsculpi adhuc a viris doctissimis summa industria posuerunt , equidem immane discrimen animadverto . Nam propria illa nomina nec sunt admodum ad pronuntiandum aspera & confragosa , & omnia aut pleraque Latine nihil quidem , Hebraice autem Chaldaiceve aliquid certe innunt , quod non raro locis ipsis convenit : contra vero monumentorum dictiones (nisi vero nondum per omnia totum alphabetum perspectum habemus) & difficiles ad eloquendum sunt , ac plae enecant ; ac rarius aliquid commu-

ne habent cum vocibus Asiaticis . Quae eo heic tangenda censui , ut tandem tantam Eugubinarum tabularum , Lepiriani marmoris , & similium epigrammatum antiquitatem , quasi quae transcendant Troica tempora , praedicare viri eruditi desinant ; atque agnoscant , Etruscorum ante aut post Iliacam cladem dialectum fuisse revera Hebraicae aut Chaldaicae propaginem : quod in sequentibus manifestius fiet , quam ut cuiquam contra hiscendi sit locus ; ab ea vero tanta similitudine Tyrrhenicae linguae cum Asiaticis degenerasse posteriorum Tuscorum idioma ; plus certe quam Saliare carmen ab aevi Tulliani eloquio dissidebat .

promant; annon inde populus ille arcessendus est, unde ejus populi dialectus arcessitur? Quid si in locis binominibus iisdemque bilinguibus antiquiora Etrusca nomina, si ex Hebraeo aut Chaldaeo explicentur, tantumdem significationis habere reperientur, quantum recentiora Latine significant? annon tum quidem certe causa finita erit; planeque fatendum antiquam primorum Tuscorum dialectum Hebraicae Syraeve furculum existisse?

Atque ut inde exordiar, ubi primo in Italiam adventu Tyrrheni constiterunt: tota illa campestris planities, quae inter Apenninum & mare Superum longe ac late diffusa Pado perfluitur flumine, prima illorum sedes fuisse, Cluverio (1) visa

(1) De prima Tyrrhenorum sede.

Cluverius Ital. lib. 2. c. 1. pag. 435. 1. statuit Circumpadanam regionem fuisse primam Etruscorum sedem, ex qua deinde in eam, quae inter Apenninum & mare Tuscum est, immigraverint. Id vero nulla auctoritate firmat, sed tantum ratiocinatione, quae talis est. Plinius III. 5. de hac ad mare Inferum Tusciam scripsit: *Vmbros inde exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi*, quos Tyrrhenos fuisse ibidem ait. Ac de Vmbris Etruriae hujus antiquioribus incolis, testari Cluverius ait etiam Herodotum, Marcianum Heracleoten, Dionysium a se ante citatos (quorum loca mihi nunc non vacat expendere) ac praeterea superesse in Etruria *Vmbronem* amnem, utique Vmbrorum incolarum vestigium. Ex his vero colligit, *Tuscos* (quos non *Lydos* origine, sed antiquissimam indigenamque Italiae fuisse gentem satis superque ostensum) aliam tum habuisse sedem. . . Ea vero nulla demonstrari potest, nisi quam . . . circa Padum incoluerunt.

Atqui haec Cluverii opinio contraria est Livio (qui lib. V. ait: *Incoluere urbibus duodenis terras, prius*

cis Apenninum postea trans Apenninum, totidem . . . coloniis missis) contraria Diodoro Siculo (qui, ubi de Gallorum irruptione, ait: *Τούτους δ' ἐνισι φασιν ἀπὸ τῶν ἐν Τυρρηνίᾳ δώδεκα πόλεων ἀποικισθῆναι: Ἡὸς (Tyrrhenos Padi accolae) ex duodecim Tyrrheniae urbibus missos colonos tradunt*) contraria Hellanico (qui apud Dionys. lib. 1. *τὴν νῦν καλουμένην Τυρρηνίαν*, quae sua aetate dicebatur Tyrrhenia, eam primam facit) contraria credo & aliis. Nec vero Cluveriana ratio recto stat talo. Fuerint sane Tusci *indigenae* (modo *indigenam* interpreteris cum, qui sit ultimae antiquitatis populum; nam terrae filios fuisse, numquam Cluverius admiserit) at hoc, inquam, antiquissimo populo fuerat antiquior alius, Vmbri scil. Nunc fieri potuit, ut Tusci primo in Italiam adventu, in Transiberinam Etruriam appulerint, quam olim Vmbri tenuissent. Proinde non necesse est, Tuscos, ut antiquissimi videantur, ex alio tractu Italiae illuc immigrasse: nam & Tuscorum in hanc Transiberinam Etruriam adventus res est antiquitatis ultimae, aequae cum Bacchi gestis, aliisque fabulis conferta.

Ceterum quamvis Cluverii ratiocinatio sit

vifa fuit. Verum quidquid hujus opinionis fuerit : illud quidem certe est extra dubitationis aleam, eam olim regionem ante hominum memoriam a Tyrrhenis occupatam. Atque illi in Circumpadana illa Tyrrhenia, quam ab initio infederunt, planitiem longe lateque diffusam (qua major in Italia nulla esset) contemplati, eam, quia campestri Mesopotamiæ per similem reperissent, eidem cognominem effecerunt, ac פַּדְיָן *Paddan* (sic pluries in sacro codice Mesopotamia vocatur) uti credo, nuncuparunt : quod vocabulum, Aben-Esra & R. Salomone testibus, *campestrum planitiem* significat. Hinc jam ex *Padanis* vocabulo, quod Circumpadanae regioni imposuissent, etiam ipsi flumini, quod eam perfluit, PADI nomen quaesitum fuit. Et olim quidem sic de PADI nomine conjecteram.

Verum PADI vocabulum recentius fuit prae altero ERIDANI, quomodo primitus appellatum hoc flumen inter omnes antiquos constat, praesertim Homerum. Age experiamur, quò idiomate ERIDANVS suae indoli congruam notionem prae se ferat. Hebraei doctores עֵרֶז *Erez* vocabulo non tantum *Cedrum* significari, sed omnes arbores piceas ac resinosas (1) putant

sit infirmior : tamen (Livio & aliis quamlibet reclamantibus) fateor mihi verisimile fieri, Tyrrhenos sive priorem illam ad mare Superum habuisse sedem, quæque hanc alteram, sive simul eodem ferme tempore utramque occupasse : id quod alibi expendetur. Interim si qualemcumque huic opinioni auctorem quaerimus, non de nihilo id est, quod Stephano (in V. *Τυρρηνία*) sic *Tyrrhenia* definiatur, ut sit χώρα πρὸς τῇ Ἀδριαῖ : regio ad *Adriaticum*. Ac memini, ni fallor, & in Eustathio ad Dionysium tale olim aliquid reperisse. Quamquam horum uterque longe minus auctoritate valeat, quam Lycophron, Aristoteles in *De Admir.* & alii plures, qui *Τυρρηνίας* nomine hanc ad mare Tuscum intellexerant : ac fie-

ri id quoque potest, ut Stephanus *Τυρρηνίας* illam ad Adriaticum dixerit, quia haec altera suo tempore passim *Etruria* aut *Tuscia* dicebatur. Verum de his alibi.

Illud cave credas, quod apud nuperum V. Cl. legisse memini, non reperiri ubi haec ad mare Superum regio, *Etruria* appelletur; etsi fateatur, Etruscos ibi fuisse. At quid Stephani verbis modo recitatis fiet? quid Plinio, ubi de *Felsina*, ubi sic appellatam ait, *quum princeps ETRVRIAE esset*? Festus quoque in *Atrium* ait, hoc *Atriae primum in ETRVRIA institutum* fuisse.

(1) Hinc intelligi potest, quid sit, cur Plinius XVI. 111. ubi agit de modo conficiendae picis, dicat : *Primus su-*
der

putant : itaque Rabbini in Ber. Rab. quatuor & viginti עֵרֶז *Erez* genera distinguunt ; quum contra Talmudici in *Rosh basbanab* decem tantum numerent . At vero Hebraicum Zain (five Zeta) apud Chaldaeos , Syros , Arabas saepissime in D commutatur : sic זָבָב *zabab* Hebraice *aurum* dicitur , quod Chaldaeis *Debab* , Syris *Dababo* , Arabibus est *Debeb* : ut alia sexcenta & obvia taceam . Ergo quam arborem Hebraei *Erez* , eam Tyrreni orientalium propago , *Ered* aut *Erid* nuncupabant ; imo Graecorum κέδρος ex *Ered* per μετάθεσιν fluxit . Quum ergo in Padi ripa plurimum picearum proven- tum casca illa Tuscorum gensprehendisset , hinc ei flumini ERIDANI nomen imposuit.

Et quidem loca circa Padum piceis arboribus abundasse, argumento sunt *Larices* (quos inter picearum praecipua gene- ra ponit Plinius XVI. 10.) in quas Phaëthontis sorores ver- sas fuisse & Virgilius alicubi dicit , & LARISCOLI nummus testatur . Argumento sunt & abietes , quas in locis circa Pa- dum plurimas fuisse , testatur ALTINI oppidi nomen , quod est ipsissimum *abietis* nomen Chaldaicum , de quo consule in- fra (1) adnotata . At אֵלִינ *Altin* , five *abietem* inter עֵרֶז *erez*

erez

*dor aquae modo fuit canali : hoc in Syria CEDRIVM vocatur . Rationem reddit Hard. Quoniam , inquit , Syri ex cedro tantum & terebintho picem urunt : pino , picea , ceterisque resini- feris arboribus carens , teste Theophr. IX. 3. (videndus Theophrasti locus) At vera ratio , quia Syri τὸν Εῖρῆν *erez* nomine omnia resinifera complectun- tur . Addit ibidem Plin. eo primo fu- dore condiri corpora consuevisse . Con- sentit Herod. Euterpe num. 87. pag. 121. adhiberi dicens τὸ ἐκ τοῦ κέδρου (tam late κέδρον Herodoti intellige , quam late patet ipsum Εῖρῆν *erez*) αἰ- λίσφωρ , quam τὴν κέδριν vocat .*

(1) Chaldaicum אֵלִינ *Altin* in *Medrash Tanchuma* , sectione Truma de- finitur in hunc modum : Arbor , quae

Hebraice dicitur עֵרֶז (*beresch* i. e. abies) & ab Hebraeis numeratur in- ter Cedri (Εῖρῆν *erez*) genera . Vi- des profecto quid sit *Altin* : a quo (ut obiter dicam) ablato servili N , fit apud Graecos ἐλάτη , ipsissimum *abietis* apud Graecos nomen ; quod non debet a lexicographis ab ἐλαύνω deduci : at ἐλάτη cum *palmulam* aut aliud quid notat , bene ab ἐλαύνω arcessitur . Sed ad ALTIN redeo . Quis enim dubitet ; quin ALTINVM oppidum inde nomen traxerit ? fuisse Altinum non longe a sylva aliqua nobili , testatur Martia- lis IIII. 25.

*Aemula Bajanis Altini litora Villis,
Et Phaëthontei conscia sylva rogi ;*

.....
*Vos eritis nostrae portus requiesque
senectae.*

Equi-

ered i. e. *cedri* genera numerari, testatur *Medrash Tanchuma*, sectione *Truma*.

Hac *Eridani* etymologia fateor me semper unice delectatum. Verum quis ignorat, quam sit hoc argumentandi genus fallacissimum? Quid enim? an non fieri potuisset, ut casu, qui in hoc genere plurimum potest, factum sit, ut *Eridani* nomen ex Hebraeo explicari posset, quum forsitan longe aliud ea vox apud Tyrrhenos significaverit? At fateor equidem de casu suspicionem oriri tum demum posse, quoties paucae numero voces sunt, quae ex Hebraeo aut Chaldaeo feliciter exponantur: at ubi sunt innumerae, nego id de nihilo esse. Verum ne ab *Ered* i. e. *picea* discedam: inde quidem flumini nomen factum, id quidem antea dumtaxat ex conjectura assequabar. At eam postea conjectionem certissimam mihi reddidit ex Metrodoro Plinius; cui magnam propterea & ego, & mecum *φιλότηρρνοι* omnes habebunt gratiam. Ergo Plinius lib. III. extremo XVI. capite de *Pado* sic loquitur: *Pudet a Graecis Italiae rationem mutuari. Metrodorus tamen Scepsius dicit, quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quales Galliae vocantur PADI, hoc nomen accepisse. Ex quo liquido jam vides, PADI vocem esse antiquioris Tusci vocabuli ERIDANVS Gallicum interpretamentum, ac tantumdem Tyrrheno sermone esse Eridanus, quod Celtico Padus. Ac equidem vix credo Gallos fontis Padi accolae (hunc enim arbitrantur, si vera narrant, in solo Gallico oriri) nominis hujus auctores esse, sed potius eos Gallos, qui primi Circumpadanam regionem, exactis inde Tuscis, occuparunt. Qui quum *Eridani* nomen, simulque explicationem nominis a *picearum* copia deducti audissent, maluerunt rejecto nomine extraneo, nominis interpretatione uti; sicque illum PADVM*

Tom. II.

L

nun-

Equidem non dubito olim circa Altinum abietes provenisse plurimas. Vel lege Festum in *Abietaria*; ubi ait: *ABIETARIA negotia* (in MSS. *negotiatio*) dicebantur, quam *materiam* (si legendum sit *negotiatio*, heic repones *materiam*) nunc dicimus, videlicet ab abietibus coëmentis. Ex quibus in-

telligis in sylvis caeduis nihil fuisse abiete familiarius. Quocirca si nunc in locis circa Altinum plurima est abies; quis dubitaverit, quin antiquitus (quando eadem abies etiam negotiationi materiariae nomen dabat) tanto provenitu ibidem fuerit, ut ALTINO oppido nomen imposuerit?

nuncuparunt. Sane familiaris mos antiquis erat, ut qui populus novam regionem, pulsus accolis, occupasset, is locorum nomina interpretando in suam linguam traduceret. Sexcenta moris hujus afferri possint exempla in geographicis nominibus, quorum recentiora nomina Graeca antiquorum Syrorum notioni respondent; cujus generis exemplis Bochartus scater. Nos etiam infra idem in *Volaterris*, *Capua*, *Vadis Sabatiis*, *Fossionibus Philistinis* factitatum observabimus. Quid quod etiam barbara virorum nomina Graeci interpretando sua faciebant? ut qui Esauum *Erythram* dicerent, Isaacum Γέλωτα *Gelotem*, & alia sexcenta. Atque haec de *Eridani* Tyrrhenica, *Padi* Celtica significatione sufficiant.

Sed nescio quo pacto nihil dum de *Apennino* dictum fuerit. Quis enim sibi persuadeat egregium hunc Italiae montem jam inde ab initio suo nomine caruisse? Imo verum quum hic Hebraicum vocabulum referat, a Tuscis nomen habuisse videtur, qui totius qua longissime protenditur Italiae (teste Livio) dominati, Apennino nomen loci ingenio consentaneum imponere poterant: quod quidem frustra aliunde, quam ab ejus figura derivabimus, quae lunata est, & ἡμικύκλιος (*semicircularis*). Martianus Capella lib. VI. *Si a primis Alpibus dentrum latus, & prolixi montis (Apennini) brachium contempleris, prominentias utrimque componens; THEATRVM quoddam spectare videaris undarum: LVNATA quippe, & quodam hemicyclio in promontorium memoratum (Leucopetrae) circumfertur Italia*. Atqui hic Martianus ab circulari Apennini figura Italiae ipsi theatri figuram assignat; verum enimvero Plinius montibus ipsis lunatam figuram tribuit; nam ait lib. III. cap. V. ineunte: *Quo (in Lucanum Bruttiumque litus) longissime in meridiem ab Alpium fine LVNATIS IVGIS in maria excurrit Italia*. Quo pacto Apennini processus per Italiam figuram lunatam efficiat, optime intelligitur ex Polybii, Strabonis, Ptolemaei descriptione, observantium hunc montem ab Liguriaie extremo angulo exorsum, deflectere proxime ad Mare Hadriaticum prope Anconam, deinde rursus ad meridiem & mare Inferum se convertere, Bru-

Brutios versus usque Leucopetram . Ac ne plura : *Apenni* nomen ab Heb. *פִּנְיָן* *opan* deductum est , quod *rotae cantibum* significat . Id nomen litteram ultimam (in plurali aut quoties incrementum syllabae id patitur) duplicat , haud secus ac in voce *Apenninus* . Vocem illam *Opan* Tusci Syros imitati initio *Aupan* pronuntiabant : imo Hebraicum *Cholem* saepenumero apud Chaldaeos in *Kamerz* evadit ; deinde evanescente posteriore vocali *Apannini*, sive *Apennini* (1) vox effecta est a figura *canthi rotae*, uti dixi . In *VADIMONIS* vocabulo infra ostendetur Tuscis rotae jacentis figuram in suis nummis insculpsisse . Sed illuc, unde profecti sumus , ad Padum , quasque alluit Provincias, redeamus .

Porro in hujus Circumpadanae regionis ora antiquissimum omnium, quod litteris exstet , Tyrrhenorum *κτίσμα* (*opus*) *ADRIA* sive *ATRIA* (quod modo aspiratum , modo sine spiritu legitur : id quod in *HEBRON*, *HARVGA*, *HARVSPEX* aliisque ex Oriente vocabulis evenisse video , ut alibi docebitur) fuisse dicitur , quod & Supero mari nomen indidit . Neminem autem tam pervicaci ingenio fore suspicor , qui negare possit , quin id vocabulum sit mere Hebraicum ; apud quos *חֲצֵר* *Hatser* oppidorum muro carentium (uti magistri volunt) nomen est , cujusmodi initio & *Adriam* fuisse, & alias primas Etruscorum (2) sedes minime

L 2 du-

(1) Quid si *Apenninum* ab *פִּנְיָן* *Pennim*, aut *פִּנְנֹת* *Pinnor*, murorum ambitum, arces, turres, quas Latini etiam *pinnae* dicunt, derivabimus? Ea quippe montium series, continua veluti deinceps *turrium*, seu *arcium* catena videbatur. Atqui Tyrrhenos ipsos ab *turribus* suum nomen mutuos scimus . Denique & *Pinnim* & *Opan* (utraque enim N duplicant), si me audis, ab uno fonte *פִּנְיָן*, quod est *flectere*, *curtare* deducenda . Hinc pronissima *Apennini* lunatam in formam se curvantis origatio .

(2) Non tantum *Hadria*, sed & *Perusia*, & *Caprium*, & *Caprasio*

villarum sive pagorum sunt appellativa nomina , ut infra demonstrabitur : ex quo potest intelligi Tuscis initio vicatim habitasse, ac sero tandem suos pagos muris permunivisse . Ocnium Mantuae ac Felsinae conditore permisisse suis, ut castella munirent, infra ex Servio docebitur . Tamen quo primum tempore Galli (DC ante CHRISTVM anno) pulsus Etruscis has occuparunt sedes , adhuc tamen oppida pleraque immunita fuisse necesse est (dicente de Gallis Polybio lib. 2. *οἱ γὰρ δὲ κατὰ καίμας ἀπὸ τῶν ἑλλήνων, ὁππότε ἀπὸ τῶν ἑλλήνων ἦσαν, ἀπὸ τῶν ἑλλήνων ἦσαν*) .

dubito. Verum de *Hatfer* & *Hadria* vide inferne (1) adnotata. Interim Hebraicum *Tsfade* apud Graecos & Latinos modo sibilo responder, ut ex *Tsfidon*, *Sidon*; modo τῶ T, ut
ex

ἄξιον κερυδόν, *vicatim omnes habitabant*) nec enim puto Gallos Tuscorum munimenta diruisse, sed, sicuti castella illorum immunita repperunt, sic in iis confedisse. Illud quoque antiqui & Orientalis moris est, quod Tyrrheni locis *γῆραι* sive appellativa nomina imposuerint, puta *villae*, *pagi* &c. Sic *Cortona*, ut infra dicam, commune urbis nomen est: *Ameria* est *habitationis* generalis appellatio, & alia sexcenta. Sic & millies apud Mosem נָהָר *Nahar* i. e. *flumen*, non aliud est, quam Euphrates; non secus ac *Nahar* נָהָר olim ille Vmbriae fluvius dicebatur, qui postea contra-cto nomine *Nar* dictus fuit, ut infra ostenderetur.

(1) De חָצֵר *hater*, & urbe Hatria.

Dixi jam τὸ חָצֵר *hater* significare tum *atrium*, tum etiam *villam*, *pagum*, & a posteriore significato *Hadriae* nomen adduximus. Quid si a priore notione, qua *atrium* significat, urbis hujus etymon sit repetendum? Huic posteriori originationi favet, quod Varro in IV. de L.L. putavit, *Atrium* appellatum ab *Atriatibus* Tuscis; il-
linc enim exemplum sumptum. Festus: *Dictum autem Atrium, vel quia id genus aedificii Atriae primum in Etruria sit institutum, vel quia a terra oriatur*. Ergo si *Atria* dicta sunt, quia ab *Hatriatibus* inventa, hi quoque sic appellati ab חָצֵר *hater*, qua *atrium* significat, non quia *villam*. Verum estne credibile, huic oppido nullum aliud fuisse nomen, quam quod sibi ab *atriorum* invento postea peperisset? Quid quod de *Atriorum* tum etymo tum auctoribus a Varrone ac Festo dissentio? Nec enim *Atria* ab

Atriatibus dicta fuere, quia non hi primi ejus rei inventores, sed universi Tusci, ut equidem suspicor. Res enim sic, opinor, se habet. Italia ut cetera praeclara inventa a Tuscis habuit, qui ea primi ex Oriente detulerunt, sic & aedificiorum rationem ab iisdem, a quibus est & ordo *Tuscanicus*, didicit, atque in primis *Atriorum* (rei in Oriente usitatissimae) constructionem. Ejus rei testem habeo locupletissimum Diodorum, qui lib. V. narrans Tuscorum inventa, in iis recenset porticus ante domos. Et Vitruvius lib. VI. cap. 3. atrium ait *Tuscanicum dictum a Tuscis*, nim. inventoribus. Consentaneum autem fuit, eo rem vocabulo appellari, quo a Tuscis inventoribus appellaretur. Tuscis autem ea pars aedificii חָצֵר *hater* (dialecto Chaldaica) dicebatur. Hinc Latinis ortum *hatrii* sive *Atrii* vocabulum. At Latini postea ubi primum ad rimandas vocum origines animum adjecerunt, quum & *Atria* ab Etruscis inventa scirent, in his autem non incelebres fuisse *Atriates*; nihil propius fuit, quam ut *Atria* non univérse a Tuscis, sed ab unis *Atriatibus* inventa, & ab eis nomen *Atrii* tractum, putarent. Atque haec quidem ita se habuisse, non dubito. Simul hinc intelligis *Atriorum* ut inventum, sic & ipsum nomen in Latium ab Oriente per Tyrrhenos mansisse. At Scaligero quid fiet, qui in conjectaneis *Atrium* dictum putavit, quasi ἀἰθρῶν quia erat ὑπαίθρῳ *subdiale*? Probarem; nisi alterum illud a me productum etymon verissimum esset. Interim hanc *Atrii* originationem sumpsisse videtur Scaliger a Stephano, qui *Hatriam* urbem dixit esse Diomedis opus (nam vanitate ingenua Graeci tum alibi cla-

ex *Tsur*, (quasi *Tur*) fit *Tyrus*, & ex *Hatser*, *Hatria*.
At Arabibus idem *Tsfade* puncto superne affectum ut D pronuntiatur: unde hoc idem Hebraicum חצר *Hatser* Arabice va-

clarissimas quasque urbes, tum ad mare Superum *Hadriam* & *Spinam* ab suis conditas falsissime prodiderunt) qui tempestatis vi jactatus, ubi illic salvas evasisset, urbem in eo loco ab se conditam appellavit *A'idpiar* i. e. *serenam*. Sed ut eo redeam, unde initio profecta est oratio; mihi fit verisimilius oppidum *Hatriae* ad eam Hebraici vocabuli notionem esse referendum, qua *villam* sive pagum, non qua *Atrium* significat. Verum equid *Atrium* cum *villis* commune haberet, ut unum idemque vocabulum חצר *hatser* (sicuti & in cognatis dialectis) rem utramque significaverit? An quia *villae* in modum perampli *Atrii* aedificabantur? ita prorsus existimo. Atria cujusmodi apud Hebraeos fuerint, vel Templi descriptio docere possit. Nec aliter apud Latinos. Festus in ea voce: *Atrium proprie est genus aedificii ante aedem* (sicuti & Templi atria ante aedem, sive Templum stricte sumptum, porrigebantur) *continens mediam aream, in quam collecta ex omni recto pluvia descendit*. Nec aliter sane villae privatae aedificabantur. Area subdialis media erat; quam Homerus αὐλήν *aulam*, ceteri χορτόν, Latini *Cohortem* sive *Chortem*, aut *Cortem* dicebant, a quo est Italis *Cortile*, imo & vox *Corte* pro aula Principis (non a *Curia*, quod aliud est) quam medii aevi Scriptores *Curtem* nuncupabant. Ergo in primis in villa erat area subdialis, & quidem ante aedem (ut utar Festi verbo) hoc est ante praetorium (nam praetoria apud Suetonium in Caligula cap. 37. non sunt, uti volunt, villae elegantiores, sed pars villae in usum domini aedificata, uti constat ex pluribus Pandectarum locis) sicuti & in

castrametatione ante ducis praetorium area explicabatur. Eadem area sive *Atrium*, in elegantioribus saltem villis, ex omni parte porticibus, dein cubiculis, conclavibus, apothecis ad varios villae usus concludebatur. Sic villae privatae erant; nisi quod Latini illam mediam aream, non *Atrium* (nam hoc Romani vocabulum in sumptuosioribus aedificiis usurparunt) sed *Cortem* appellarunt. Nec aliter villae publicae construebantur. In medio area sive *Atrium* peramplum erat, & quidem ante praetorium sive locum, ubi jus dicebatur: id atrium, *forum* appellabatur; unde Latinis *fora* numero multitudinis pro id genus villis accipiuntur. Ei foro sive atrio ex omni parte aedes respondebant, sicuti & eodem viae, si quae essent, dirigebantur. Apud rei agrariae Scriptores coloniarum deductores id forum, quasi dixeris centrum, ante omnia metabantur. Ergo villae sive castella vere non aliam, quam *Atrii* cum adjunctis aedificiis imaginem praeseferebant; unde ab orientalibus חצר' *hatserim* i. e. *Atria* vocabantur. Nec illud de nihilo est, quod idem Hebraicum nomen paullo immutatum (ut fit חציר *hatfir*) significat *gramen*; nec secus in cognatis dialectis eadem significatio reperitur: haud aliter certe, quam vox Graeca χορτος (i. e. *aula*, *cors*, *atrium*) etiam *foenum* & *gramen* notat. An ergo ab Heb. חצר (cuius prima saepe תא *ta* respondet, ut fit *Chatser*) per metathesin fit χορτος? sic prorsus censeo. Deinde a χορτος est Latinis *CHORS*, et ab hoc postea *COHORS*, non contra, ut ab hoc contractum fuerit *CORS*. Capuae in mare MILES *CHORTIS* pro *cohortis*. Dixi supra *Hadriae* vocabulum modo aspi-

variis modis enuntiatur, iisque terminatione quidem diversa, sed ita ut earum dictionum initium sit HADR, eaque oppidum aut villam notent. Hinc ex duobus scribendi rationibus urbis hujus, illa cum T, ut sit HATRIA (quomodo in nummis civitatis hujus litteris Etruscis scribitur, quae reddunt HAT: itemque in *Atriatibus* Varronis, in *Atrianis paludibus*, & quod, teste Plinio, *Hadriaticum* mare, antea *Harriaticum* ab hac urbe dicebatur) orta est ex Hebraica pronuntiatione litterae *Tsade*: at altera scriptio cum D (ut sit HADRIA, quo modo Latium posterius scripsit) nata est ex Arabico *Tsade*, ubi puncto superne afficitur, quod valet D. Atque haec est celeberrima Tuscorum Hadria, quae & sinui (1) Hadriatico nomen fecit: sicuti non dubito, quin & altera Picenorum *Hadria* & ab illa antiquiore nomen duxerit, & fuerit Etruscorum opus.

Et *Harria* quidem illa prior inter Padi & Athesis ostia erat posita. An ab eadem orientali dictione, unde est *Hadriae* nomen, etiam EDRON portus, quem in ea vicinia ponit Plinius, est derivandus? Nulla erit per me quidem certe mora, modo recta scriptura sit illa Plinii, de quo vehementer dubito; qui putem in Peutingeriana tabula verum hujus loci nomen superfuisse, in quo *Ebron* is locus appellatur, ubi sic legitur: *Min. Medraco; Ebrone; Foffis; VII. Maria; Hadriani*, &c. Haec vera est loci hujus

aspirari, modo sine spiritu scribi, deinde modo cum T, modo cum D. Id quoque in *Hadrumeto* Africae reperitur varietatis, quod cum D quidem semper scribitur, at modo aspiratur, (sicuti semper in nummis & marmoribus) modo sine spiritu: item Mysiae Adramyttium cum D ac sine aspiratione scribitur; quum tamen utrumque nomen sit a *ἡδρῆς* *haeser*: certe quia a pluribus *Tsade* uti D pronuntiabatur.

(1) Aurelius quidem Victor in Hadriano ex Piceni *Hadria* Hadriani patria, non minus mare *Hadriati-*

cum, quam suum imperatorem nomen invenisse dixit; id quod Paulus Diaconus tum in X. hist. Misc. tum in hist. Langob. sequitur. Sed malo Livii, Strabonis, Iustini ex Trogo, Plinii, Stephani auctoritatem sequi, qui ab illa altera mari nomen imponunt. Quamquam & Piceni *Hadriam* Tyrrenorum coloniam non fuisse dubito; qui in eodem tractu non tantum *Cupram* (Cupra autem Iunonis Tuscanicum nomen erat) *Maritimam* & *Cupram Montanam*, sed & alia ejusdem indolis nomina deprehenderim.

ius scriptura, qui *Hebroni* alteri (Heb. חֶבְרוֹן, *Hebron* : sed gutturalis illa modo densa modo lenius redditur, modo etiam negligitur, ut in *Adria* aliisque vidimus) prope Hierosolyma est cognominis, quae urbs Tani Aegyptiaca antiquior aliquot annis fuisse dicitur, ut omnino Hebronem oporteat haud diu post Babelicam διασποράν fuisse conditam.

Ac ne cui vanas per mentis insaniam φαντασίας, ac mira spectacula (cuiusmodi Argivus nescio quis ille apud Hor. in II. ep. 2. sese oblectabat) contemplari videar ; ecce in eodem tractu, in quo tamdiu sumus, in Peuring. tabula Fossae quaedam sunt, quas diserte Plinius III. 16. *Fossiones Philistinas* appellat ; deinde in eadem ora SEPTEM MARIA & Tabula eadem, & Plinius agnoscunt : quae sunt plane ἑβραϊκώτερα, quam ut, quid in hisce Hebraismi sit, admoneri oporteat. Tamen nemo, quod equidem sciam, in tanto Hebraicorum nominum strepitu ad ea advertit animum : quum propius nihil fuisset, quam ut in *Septem maribus* Hebraica φρασσιολογία (*locutio*) qua quaelibet aquarum συναγωγῶν (*collectiones*) maria dicuntur ; in *Fossionibus* vero *Philistinis* Etrusci natione orientales agnoscerentur. Res enim sic se habet. Plinius III. 16. Tuscos auctores fossarum Padi tradit : quarum quum quaedam sint quae *Philistinae* vocentur ; necesse erit Etruscis originem orientalem tribuere. Verum haec non ejusmodi sunt, quae complecti paucis verbis possum : & ceteroqui plura ac majora in hac eadem ora restant : nam singulos Padi alveos sive ostia animadverti, nominibus Hebraicis Chaldaicisve insignita. Quae quia scitu jucundissima fore confido, nec ea paucis exponi possunt ; statui tum hujus rei gratia, tum aliarum similium παρεκβάσεων *Diatribas* aliquot huic dissertationi adjungere, in quibus ad hujusmodi nominum geographicorum originationes ab Asiaticis linguis petitas pro argumenti dignitate diverterem : quas si in hanc dissertationem conjicere voluisssem, nec ullus fuisset huic opusculo finis, & in quo caput est, crebris longisque digressionibus orationis filum non sine legentium taedio abrupsissem.

Ex

Ex Diatribis, quas ad calcem dissertationis hujus reperies, ea prima erit, quae in *VII. Maribus*, in *Fossionibus Philistinis*, atque in singulis Pâdi alveis ex Hebraeo exponendis versabitur: quam adeas, censeo.

Et quidem huc usque non aliud, nisi urbis *Hadriae*, & *Eridani*, & ostiorum ejusdem amnis nomina ex Oriente esse demonstratum fuit. Quid cetera Tyrrheniae Circumpadanae loca? an non ea quoque ejusdem ingenii nomina prae se ostendunt? prorsus ostendunt. Verum quando semel id consilii cepimus, ut longiora & abstrusiora quaeque in se junctas *diatribas* conjicerem: habes in hujus dissertationis calce *Diatribam secundam*, qua *Mantuae*, *Felsinae*, *Perusia*que urbium primariarum nomina mere orientalia esse, ostenditur, ubi & Servius, a quo lucem hausimus, vicissim illustrabitur: deinde & *tertiam Diatribam*, qua aliquot alia Tusciae Circumpadanae locorum nomina ex eodem fonte derivantur. Ea vero pauca speciminis loco posui, plura dicturus, si liberius vagari libuisset: sunt tamen talia, quae satis incolarum linguam in aperto ponant.

Quid porro *Vmbria*, quid *Picenum*? nam & his terris aliquando inledisse Tuscos, & Plinius (1) docet, & clara vestigia hoc idem demonstrant. Et quidem *Vmbria* & *Pelestinos* & *Amerinos* & *Camertes* & *Carfulanos*, & *Nabartes* aliosque plures Asiaticae *ἐτυμολογίας* suppeditat, quos, si cui modo cognoscendi cupido sit, *Diatribam quartam* ad finem dissertationis hujus perlegat: *Picenum* vero haud pauca ejusdem ingenii locorum nomina offert; quorum aliquot eadem *Diatriba* exponuntur. Quid postremo Etruria Campaniae? de qua quidem tum universa, tum potissimum de ejus metropoli *Capua*

(1) Plinius III. 14. *Siculi & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Praetutianum, Hadrianumque agrum* (de *Vmbria* dum loquitur, tamen quae nominatum ponit, ad *Picenum* pertinent: quo satis innuit, non tantum de *Vmbria*, sed & de *Piceno* vera esse, quae dicit) *Vmbri eos expulere, hos Etruria,*

hanc Galli. Ibidem. *Trecenta eorum* (Vmbriorum) *oppida Tusci debellasse reperiuntur*. Quod non de sola *Vmbria* intelligo, sed ubicumque *Vmbri*, quondam Italiae domini, consedissent. Hos quia *Tusci* plerisque possessionibus deturbarunt; in iis locis omnibus trecenta *Vmbriorum oppida expugnaverunt*.

pua plura dicenda mihi forent, nisi alio properarem. Verum nec deest animus aliquando Campana quaedam ἐβραϊκώτερα in medium afferre, si Deus annuet; & nunc quoque de *Capuae*, & aliorum quorundam locorum nominibus in *Diatriba quinta* aliquid adnotabitur. Nam nunc, quod instat, ad eam Etruriam venio, quae cis Apenninum est, quae & hodie dum sola *Etruriae* nomen tuetur; imo ut Superum mare ab Hadria prima Tuscorum Circumpadanae regionis sede *Hadriatici* nomen est consecutum; sic Infernum ab hac altera *Tyrrhenum* est appellatum: quae satis argumento esse possunt, quam longe olim ac late per universam Italiam nomen Tyrrhenum se diffuderit.

Ac mihi quidem, tamquam de specula, sic Etruriam confertim universam obtutu uno contemplanti tam multa numero se loca offerunt, quorum nomina Orientem (id vero sine ullis interpretationum ambagibus) spirant ac redolent; ut mihi videatur quivis vel mediocriter in audiendis Hebraicis Latini Scripturarum Codicis nominibus versatus, vel sine ulla linguarum cognitione, de orientali nominum illorum ingenio atque indole posse statuere. Quis enim tam stipes est, qui dubitare possit, quin *Sabate* lacus, quin *Aron* amnis, per quem Sabate in mare se exonerat, quin *Marta* fluvius, quin *Adharnabam* sint mere Hebraica nomina? Deinde *Saturnia* Colonia (de qua Livius XXXIX. 55.) antea videtur AVRINIA aut AVRINIVM (scribente Plinio III. 5. *Saturnini, qui antea Aurinini vocabantur*) dicta: quod *Auranitidi* Transjordanicae cognatum nomen est. Adhaec SVANA, hodie *Soana* (unde sunt Plinio SVANENSES) quid causae est, quin ab *Sua* aliquo (consueto nimirum orientalibus nomine, quo plures in Sacro Codice nuncupantur) condita, ab eodem cognomen tum acceperit? sicuti & in *Arretii* vocabulo omnes sunt eodem ordine litterae, quae *Ararat* nomen componunt. ARNVS olim Etruriae terminus, nunc permeans mediam, & ARNON is, qui de Galaaditicis montibus profluit, sola terminatione distinguuntur. TARQVINI, una ex duodecim prin-

cipibus Etruriae urbibus, iisdem componitur litteris, ac TARCHON (quem ajunt Tyrrheni fratrem fuisse, & urbis hujus conditorem) TARCHON autem, ubi a terminatione discesseris, Abrahæ parenti cognominis fuit, uti supra dictum est. Ac plura sunt alia Etruriae locorum nomina, quae locorum Scripturae nominibus sunt plane aut ferme ὁμώνυμα, aut certe sunt ejusdem ingenii.

Iam vero illa sunt longe plura, atque innumerabilia, quae Latino aut Graeco ore quum sint barbara vocabula, nonnisi ex Asiaticis dialectis suas genuinas significationes produnt, easque plerumque tam certas, ut mirer id nondum cuiquam eruditorum hominum suboluisse. Atque equidem in ἀδελφότητος gratiam, qua nos Campani olim cum Tusci gloriabamur, haud iavitus feci, ut in locorum Etruriae vocabulis largior essem: nam bene longum ex iis pertexui catalogum, quem conjeci in *Diatribam sextam*; nequaquam dubitans, quin eam qualemcumque curam viri ejus gentis eruditissimi aequi bonique consulant.

Nec eo tamen inficias, quin quaedam Etruriae loca sint, quae Graecas Latinasve significantias prodant. At ea loca vel sunt appellationis recentioris; vel, quod saepe accidit, veteribus Tyrrhenicis vocabulis eorundem interpretationes suffectae fuerunt. Quare fieri potest, ut *Pyrgi* (Gr. *πύργοι*, id est *turres*) olim *τύρραις* (1) (a quibus *Tyrfseni* nomen invenerunt) antiquo
Tu-

(1) Quis scit, an non Stephani urbs *Tyrrhenia* aut *Tyrrhene* vetus fuerit *Pyrgorum* nomen. Stephani verba in *Τυρρηνία* haec sunt: *Ἐστὶ καὶ Τυρρηνία πόλις, ἣ λέγεται καὶ Τυρρηνή. καὶ Τυρρηνοὶ οἱ πολῖται. Ἐστὶ ἐτιὰμ Τυρρηνία ὕψος, ὅθεν καὶ Τυρρηνή*. Est etiam *Tyrrhenia* urbs, quae & *Tyrrhene* appellatur, cujus cives *Tyrrheni* (peculiariter sumpto vocabulo) dicuntur. Dolendum sane est, integrum Ethnographi hujus lexicon ad nos minime pervenisse; in quo urbis hujus documenta & auctoritates perspiceremus. Interim sicuti apud Homerum *Sidonii*

sive notae urbis cives sunt, sive universae Phoenices; sic puto *Tyrrhenos* non tantum fuisse gentis nomen, sed & interdum urbis unius cives: cujus posterioris notionis certe Stephanus, quamdiu integer fuit, exempla proferbat: quae nunc in lacera epitome desideramus. At cedo, hi posteriores *Tyrrheni*, eccujus urbis cives fuerint? ejus, opinor, urbis, quam Tusci *טירה* *Tira* sive *טור* *Tur* (nam unum idemque est Hebraice vocabulum, significans *arcem*, *palatium*, *turrim*, *muri ambitum*; ex quo *Turris* La-

D I S S E R T A T I O N E S 91

Tuscorum vocabulo (quod respondet Hebraica טירב , *tirab* significationis ejusdem) dicerentur ; ut, & locus alter Ad Tvrres appellatus . Sic inter Minionem & Centum Cellas in Itinerario maritimo ALGAE fuerunt , ab algarum infinita copia , quibus litus illud scater , sic nominatae . At vel hoc redolet orientalis populi ingenium , assueti scil. mare algosum (qualis Arabicus sinus erat) ים-סוף *jam - suph* i. e. *mare algarum* appellare . Fortassis haec ipsa , de qua agimus , ora SVPH olim dicta fuerit , postmodum interpretando *Algae* appellata : sive id nomen orae fuerit , sive oppidi . Sic fluviorum rex , qui a Gallis propter picearum copiam *Padus* est cognominatus , is antea ejusdem significationis nomen ab Etruscis obtinuerat , *Eridani* scil. quod tantumdem significat , uti supra liquido demonstratum fuit . Sic tantumdem Latinis *Aequi* , quod Tuscis *Falisci* : nobis *Clusium* , quod eisdem *Camers* : Graecis *Aetalia* , quod Tyrrhenis *Ilva* .

Postremo , ut alia praeteream , VOLATERRAE quidem oris Latini est vocabulum : id tamen ex antiquiore Tyrrhenico per interpretationem fluxit : quam universam commentationem longiorem futuram , Volaterrani , quorum res agitur , tum etiam quisquis est paullo antiquitatis amantior seorsum delineatam reperient in *Diatriba septima* .

Iam vero nonnisi ad primitivarum Asiae linguarum ingenium quaedam Tuscorum , etiam apud Latinos , ἀκλιτα (*non inclinata*) vocabula se conformant : ex quibus augurari liceat , olim nomina apud hanc gentem flecti per casus haud passim consuevisse . Hujusmodi sunt NEPET aut NEPETE , SABATE , CAERE : quibus addere licet in aliis Italiae tractibus TERGESTE , ATESTE , PRAENESTE , REATE , TEATE , quae videri possint olim Etruscorum fuisse . De his vocibus non inclinatis vide Cluverium pag. 491. Tametsi vero interdum horum patrius casus in IS exiens reperitur , non is tamen

M 2 pas-

Latinorum , Graecorum autem τῆρας (nata sunt) sua dialecto dicebant . Ea vero terminatione Graeca Τυρραν vocabatur . Hujus autem urbis quum nullum vestigium exstet ; credo id no-

men postea Graeca interpretatione donatum fuisse (id quod etiam in *Aetalia* evenisse in Catalogo Etruriae videbimus .) urbemque illam Πύργος *Pyrgos* appellatam .

passim usurpatur, & quum essent olim etiam apud Latinos indeclinabilia; ea tamen paullum in genitivo flectere postea consuetudo docuit. At apud Etruscos ipsos utrum nomina per casus non inclinarentur, mitto dicere. Sunt quidem, qui ex ejus gentis monumentis casuum in eodem nomine diversitatem ostendant. Sed jam saepe monui, me nunc de ea dialecto quaerere, quam Tyrrheni primo adventu secum attulerunt, non qualis sub extremis reip. R. temporibus, aut sub Caesaribus erat.

Possent sane heic & plura priscorum Etruscorum clara belli & pacis artibus nomina aut filiiis orientis ὀμῶνμα, aut certe, quum Latine Graeceve nihil innuant, Syro sermone significatus suos proventia in medium afferre: si nomina ipsa in veteris historiae reliquiis dispersa corradere hinc & inde per otium liceret. Sed tamen ex iis, quae sunt promptiora, aliquot ad Orientis sermonem revocata infra in *Octava Diatriba* reperies.

Atque haec sunt pauca e multis propria locorum hominumque Tuscanica nomina, quae nonnisi ex Hebraeo aut ejus dialectis exponi possunt; & quidem accommodata ad rerum naturam. Casu hoc evenisse, ut ea nomina sic explicari potuerint, quum interim Tuscorum lingua nihil cum Hebraeo commune habuerit, dicat qui volet: nam ne Epicureos quidem gregales tantum casui tribuisse, satis compertum habeo. Quid appellationes bilingues? estne credibile, ut tantum potuerit casus in his nominibus, ut quod interpretatio Tusci nominis sive Latina sive Graeca significat, tantumdem ipsum Etruscum nomen innuat, si quidem ex Hebraeo exponatur? Atque hujusmodi bilingues appellationes, nonnullas hominum, locorum plurimas attulimus, in quibus sine multis linguae ambagibus ea res feliciter successit: nec ullum certe fuit bilingue (1) nomen, in quo non res ex sententia processerit. An adhuc

(1) *Catalogus binominum ejusdem tamen significantiae locorum.*

Non inusitata antiquitus ea interpre-

tamenta fuerunt, quibus Graeca sive Latina Civitatum nomina idipsum innuerent, quod primigenia earumdem Etrusca. Sic tantumdem Latinis

adhuc dubitabimus, quin Tusca lingua propago Hebraicae fuerit.

Postremo id unum restaret, ut & in appellativis vocibus periculum fieret, si forte hae quoque Syriacae originis vestigiis recte insistere comperiantur. Verum si de Monumentis Etruscis agitur, quantumcumque conaminis adhibeas, id totum vanum & infructuosum erit; non enim tantum lexicis veteribus caremus, quae certos nos de vocum notione reddant, sed ne litterarum quidem plane omnium potestates certo adhuc perspectas habemus. Quid quod vocales alibi desunt, nimirum in pronuntiatione supplendae, alibi vero redundant? de quo vide inferne (1) adnotata. Quare nihil

nis AEQVI, quod Tuscis *Falisci*: vide Diatr. VI. in *Falisci*. Grecis *Αἰθάλια*, quod Tyrrhenis *Ilva*: v. Diatr. VI. §. 3. ANCONA Graece idem innuit, quod Tyrrhenice *Cumrum*: v. Diatr. IV. §. 2. Latinum AQUALICENSES Etrusco *Taurini* est prorsus *ἰσχυροί*: v. Diatr. VI. in *Aquas Tauri*. Graecum BIANOR respondet Tuscanico ejusdem nomini *Ocnus*: v. Diatr. II. §. 1. BONONIA idem est Latine, ac Tusce *Felsina*: v. Diatr. II. §. 2. & Diatr. V. CLVSIVM tantumdem significat, ac Etruscum *Camers*: v. Diatr. VI. in *Clusum*. CVRVA nil differt ab Etrusco *Caesena*: v. Diatr. III. in *Caesena*. FOSSTONES aequivalet Tusco *Philisthinae*: v. Diatr. I. LATIVM id significat, quod vetustius *Camefene* vocabulum apud Macrobiū. Graecum MONIS ipsissimum est Tuscum *Vad*: v. Diatr. VI. in *Vadimonis*. PADVS Celtis est, quod Etruscis *Eridanus*: v. initio hujus Dissertationis. PYRGI, atque ac *Tyrrhene* idem sonant: v. adnotata pag. 90. not. 1. VADA ab *Sabatiis* ne larum unguem distat: v. Diatr. VI. in *Sabatia*. VOLATERRAE est veteris *Oenorea* interpretamentum: v. Diatr. VII. §. 1. VOLTVRNVM Latinis est, quod Tuscanicis *Capua*: v. Diatrib. V. §. 2.

Quod si Graeca haec, aut Latina nomina Etruscis vocibus per affines Hebraicas explicatis tamquam ovum ovo respondent; nae is unus Etruscorum linguam Hebraeam esse inficiabitur, qui vel meridiana in luce caecutire gestiat.

Sed & his addantur Diatrib. I. *Spines*, *Sagis*, *Olane*, *Carbonaria*; Diatrib. II. *Perusia*; Diatrib. III. *Ravenna*, *Raudius*, *Nuceria*, *Gabellum*, *Parma*, aliaeque. Diatrib. IV. *Carfulae*, *Naharres* &c. Denique Diatrib. VI. *Adharnaham*, *Agylla*, *Alma*, *Aron*, *Auser*, *Ciminia*, *Cortona*, *Cosca*, *Fescennia*, *Herbanum*, *Luna*, *Pasfaris*, *Pisae*, *Sabate*, *Vetulonii*, atque hujusmodi sexcenta. Sic quae antea Latino vocabulo *Valentia* dicebatur, ab Evandro & Arcadibus per interpretationem *Πάριον* dicta fuit, teste quodam scriptore apud Festum in ROMAM, Solino cap. 1. qui sic ait: *Sunt qui videri velint, ROMAE vocabulum ab Evandro primum dictum . . . quod exstructum antea VALENTIAM dixerat juvenus Latina* &c.

(1) In Etruscis titulis haud raro plures simul consonae uno tenore sine vocalibus mediis fariuntur, prorsus futurae ineffabiles, nisi Tuscos congruas suis locis vocales in pronuntiando supplere

hil opus esse arbitror, ut in Tuscorum monumentorum appellativis vocibus ex Hebraeo Chaldaeo exponendis frustra me fatigem. At supersunt tamen apud veteres grammaticos quaedam Tuscanicae dictiones ab iisdem expositae. Verum ne in his quidem, ut ingenue fatear, ad Syriacas origines revocandis aequè feliciter, ac in propriis locorum nominibus, industria procedit. Quid ita? quia ut jam supra innuisse memini, pleraque horum vocabulorum mille circiter annis fortassis recentiora sunt, quam locorum primitus ab Etruscis occupatorum nomina. Eo fit, ut quae appellativae dictiones cum Asiaticis vocibus nihil commune habent, de eis dictionibus vehemens suspicio sit, fuisse recens a Tyrrhenis receptas, antiquis interim ac primitivis ab Oriente advektis exolescentibus. Verum ne in his quidem appellativis despondebimus animum, ac si minus omnes, plurimas certe ejusmodi voces in *Nona Diatriba* deprehendent harum curiosi rerum. Ceterum ut primitivorum Tyrrhenorum dialectum ad Hebraeam Chaldaeamque accessisse ex antiquissimorum locorum appellationibus jam rectè a me demonstratum fuit; sic ultro fateor, post tot saecula, tot διασποράς novarumque gentium quotidie in Italiam incursiones, ita priscum illum sermonem infusa peregrinitate fuisse inquinatum, ut non sit mirandum, si tot viri doctissimi (qui de propriis nominibus parum solliciti, ad appellativa tantum, & monumenta non tantae antiquitatis, quantam eis falso tribuunt, animum appli-

plere consuetudo gentis docuisset: prorsus ut apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros fiebat ante punctorum adjectionem, apud quos quia vocales litterae haud raro aberant, iudicio legentis consonantes animabantur. Rursus in eisdem Tyrrhenicis epigrammatibus nonnumquam vocales geminantur aut triplicantur, praesertim I, quod haud raro triplex occurrit, saepius duplicatum. Id vero hiulcum & insuave ad pronuntiandum fuisset, nisi tale est aliquid, quale in Targum editionis Venetae reperitur, in quo duplex *Iod* aut duplex

Vau indicium est eam litteram esse mobilem, non vero in sua vocali quiescentem: de quo vide Buxtorffii Grammaticam Chaldaicam pag. 2. Aut quidquid id est; certe haud temere a Tuscis eae vocales iterabantur. Iam vero id in omnium oculos incurrit, quod quum duo puncta unum alteri insistent apud Hebraeos sententiam terminent; contra in monumentis Tuscorum eadem duo puncta interdum *κωλον* distinguant, saepius unam quamlibet dictionem dirimant.

plicuerunt) nihil Tyrrhenum sermonem cum Syro habuisse commune affirmaverint .

Atque haec de Tuscorum nominibus , qua propriis , qua appellativis pauca e multis cognovisse sufficiat . Ceterum sciendum est apud Grammaticos eas tantum voces pro Tuscis haberi , quae suo tempore Etruscis peculiares essent , nec ad eam rem significandam usurpatae a Latinis . Nam quarum rerum vocabula eadem apud Tyrrhenos atque apud Latinos erant ; non puto grammaticos (quos credo Tusci eloquii existisse ignaros) aut tam acutos eruditosve fuisse , ut ea nomina Latinos a Tyrrhenia mutuatos suspicarentur ; aut tam aequos , ut ultro Latinam linguam a Tuscanica magna ex parte propagatam faterentur . Nam cedo , quis umquam grammaticorum dixit , voces AD , AREA , ATRIVM , HARVGA , HARVSPEX , POPLVS , TVRRIS , MERKEDONIVS , SACER , & plures alias ab Etruria in Latium manasse ? Tamen quae in superioribus , praesertim in vocum appellativarum catalogo deprompsi , de eo nos dubitare vetant . Ac fuit sane a virorum doctissimorum non nemine , ac nuper a Ludovico Thomassino in suo Hebraicae linguae Glossario observatum , nullam ex antiquis linguis esse , quae plura vocabula ex Hebraeo deducta prae se ostendat , quam Latinam . Quid autem Latini (quos prae Tyrrhenis , Vmbris , & aliis non satis antiquos in Italia fuisse novimus) cum Hebraeis habere commune potuerunt ? Annon id manifesto est indicio , Hebraeorum , Chaldaeorum , Syrorum , Arabicorum nominum tam uberem sylvam Tyrrhenos primos ex Asia detulisse in Italiam , eadem vero postmodum a Tuscis Latinos didicisse : ac postremo vocum tam infinitam multitudinem sine controversia ab Hebraea cognatisque dialectis petitarum , non Latini , si verum quaerimus , sed Tyrrhenici peculii habendam esse ? Haec , inquam , omnia vocabula si Tuscis , id quod res est , imputes , unaque locorum propria jungas nomina : jam erit perpicuum , Tuscorum primitivam dialectum Hebraicae Chaldaicaeve fuisse propaginem . Atque haec de lingua Tyrrhenica .

Ac-

Accedendum nunc porro esset ad mores, ritus, instituta, doctrinam. Verum qui tam longus in linguae analysi fuerim, vereor ne heic quoque finem non sim facturus. Tamen ad gustum magis hujus rei acuendum, quam ad aequandam amplitudinem argumenti hujus, conjeci quaedam huc pertinentia in *Diatribam* X; ex quibus liceat animadvertere, Tyrrhenos haud institutis minus, quam lingua Orientem referre. At eam qualemcumque farraginem quivis de suo poterit efficere cumulationem, si non tantum Tyrrhenica paulo *ἑβραϊκώτερα*, sed & Romana atque omnino Italica ejusdem ingenii eodem comportet; quae a Tuscis ad eos manasse non dubito. Nam profecto quod Graecis Athenae erant, hoc Italica Etruria; ac scitum est, auctore Livio, Romanorum adolescentes in Etruriam instituendos mitti consuevisse. Ergo Tuscorum instituta non minus quam lingua, hos aliunde quam ex Orientis partibus arcessi vetant.

Iam vero id nunc sequeretur, ut de Etruscorum inventis, quibus excoluerunt Italiam, dicerem. Nam quidquid non modo apud ceteros Italiae populos, sed & apud ipsos Romanos in belli pacisque artibus inventi praeclari fuit, id totum ab Etruscis eos didicisse, ipsi Romanarum rerum scriptores, in primis Dionysius, agnoscunt. Atque hoc quidem argumentum jam ab aliis occupatum, etsi ex ea farragine, quam duodevicesimum hunc annum in forulis habeo sepositam, possem ditare multis partibus; tamen in re jam confessa nihil est necesse. At videamus tamen, quid collegerint ex inventis illis eruditi viri. Nempe collegerunt hanc gentem cultam atque expolitam fuisse. Imo hinc potius intelligere debuissent, eandem gentem non aliunde huc esse profectam, quam ubi, quidquid est artium praeclarissimarum, diutissime excogitatum ante fuisset, quam ipsa Graecia (in inventis omnibus sibi vindicandis sane quam ineptiens) barbariem exueret: proinde minus esse mirandum, si quas artes Tyrrheni in Oriente excoluissent, easdem adventu suo importaverint in Italiam.

At sane omitto plura hujus generis argumenta, quae
anti-

antiquam hujus populi patriam non aliam, quam Orientem demonstrent. Neque id eo dico, quasi vero minus ex Oriente sint ceteri populi. Quotus enim quisque ignorat, eam unam fuisse matricem gentium universarum; &, quod Iornandes Scandiam populorum *vaginam* appellavit, id de uno Oriente verum esse? Verum gentes aliae pluribus ab Asiatico stipite gradibus absunt, quippe quum per innumeras irruptiones migrationesque eo ventum sit, ut difficile sit gentem ostendere, quae illinc ἀμείως (*proxime*) propagata fuerit. Id vero de Tyrrhenis & ea ostendunt, quae dicta in sequentibus Diatribis reperiēs, & multo plura, quae opportuniore loco dicentur.

Sed antequam hinc abeo, animadvertere praestat, quas heic in Dissertatione, ac subsequētibz Diatribis corrafi pro Tyrrhenorum origine probationes, novi quidem peculii esse; ipsum vero argumentum, quo eos ab Oriente huc ἀμείως venisse contendo, ab aliis etiam multo ante occupatum, quos ima (1) te docebit pagella: ab qua certe philologorum conspiratione non minimum ei assertioni pondus accedet.

Vnum profecto id superest, ut qua ex Orientis parte, quo tempore, ex quibus rerum conversionibus, in Italiam

Tom. II.

N

Tyr.

(1) Eruditissimus Fullerus I. Miscell. II. Tyrrhenos ab Tyriis deducit; cujus quidem opinio tametsi pluribus in scopulis haereat, praesertim quod Tyrrheni Tyrum ipsam aetate praecedant; in eo tamen recto stat talo, quod eos ab Oriente derivet. Accedit Bonarrotius, qui in suis ad Dempsterum additionibus §. 40. pag. 84. affirmat, jam inde ab hujus aetate, h. e. ducentis abhinc annis litteratorum oculos in Orientem versos, scilicet conantium Eugubinas Tabulas, ceteraque Tyrrhenica ex Hebraeo Chaldaeoque interpretari; eosque iccirco per ludum *Aramaeos* dictos, quod exponendis Etruscis dictionibus *Aramaeam*, h. e. Chaldaeam linguam in subsidium adsciscerent. Atqui frustra erat Hebraeam ori-

ginem ex iis Tuscorum monumentis expiscari, quae mille & amplius annis ab eorum in Italiam appulsu posita erant; quo quidem tempore Tyrrheni ab primaeva lingua immensum desciverant. Quod si primitivis ipsis Etrusci sermonis vocabulis manus admovissent (quae quidem aliunde, quam ab propriis locorum primitus occupatorum nominibus, derivari non poterant) statim in oculos incurrisset, verustam Tyrrhenorum linguam Hebraicae fuscum esse. Sed & nuperrime V. Cl. Maffejus in sua de primis Italiae incolis Diatriba Etruscos ab nescio quo Orientis angulo repetit; quam quidem Diatribam multis litteratae caveae plausibus exceptam scimus.

Tyrrheni advenerint, demonstrare, aut saltem conicere aggre-
diantur. Verum res infinitae indaginis est: nec quae in hanc
rem concepta animo ac designata habeo, eloqui paucis pos-
sum. Itaque hanc totam tractationem in commodius tempus
differo. Interim hoc quodcumque laboris fuit, CAELESTINE
GALIANE, te iubente susceptum tibi sisto; cuius ea de re
iudicio, (quod jure ab omnibus magni fit; a me vero, qui
multiplicem eruditionem tuam mirari numquam satis queam,
longe plurimi) ut & doctissimis Etruscae Academiae Sociis
hanc qualemcumque scriptionem libenter permitto.

DIATRIBA I.

DE SEPTEM MARIBVS ETRVRIAE TRANSPADANAE, ITEM DE FOSSIONIBVS PHILISTINIS , DEQVE PADI NOMINIBVS EX ORIENTALI SERMONE EXPLANANDIS .

§. I.

De VII. Maribus , quidve ea fuerint . Par eorum numerus in Palaestina atque in Transpadana Tyrrhenia.

NVlla ex re magis nomenclationi divinae illi (*Congregationesque aquarum appellavit maria*) constat fides , quam ex VII. maribus , tum Palaestinae , tum etiam Tusciae Transpadanae : in utrisque autem septenarius numerus , in sacris toties consecratus , rei sacratoris expectationem ciet . A Tuscis nostratibus incipio : a quibus postea ad VII. maria Palaestinae digrediar (1).

SEPTEM MARIVM Tyrrhenicorum meminit Plinius III. 16. *Omnia ea flumina fossasque* (per quas Padus effunditur) *primi a Sagi fecere Tusci, egesto annis impetu per transversum in Atrianorum paludes , quae SEPTEM MARIA appellantur.* In quibus tamen verbis Cellarius dubitat , quid SEPTEM MARIA Plinius appellet , Atrianorumne paludes , an fossas aut ostia , per quae numero septem Padus immittitur in Hadriaticum . Tamen est , unde intelligas eam appellationem retulisse Plinium ad Atrianas paludes : *Quamquam* (inquit paullo superius eod. cap.) *deductus* (Padus) *in flumina & fossas . . . tamen qua largius vomit , SEPTEM MARIA dictus facere .* Nam in iis paludibus largius vomit . Omnino his verbis inquit Plinius , non idem esse *septem fossas*

N 2

(1) Quid sint *septem maria* in Epistola Magni Cani Tartarorum , apud Vadingum ad annum 1338. num. 1. & Raynaldum eodem anno num. 73-74. ex iisdem videndum . Ea Epistola mittitur , ad Papam Dominum Christianorum in Francia trans septem Maria.



fas aut ostia, quod *VII. maria*; quia uni loco, qua largius vomit, ea inest nuncupatio.

Sed & in Peutingeri Tabula *VII. Maria* est ferme unius certi loci nomen; in qua tabula hic est locorum ordo (omitto autem intervallorum numeros) ab Altino Ravennam usque. Sic ergo Tabula incipit: *Altino ad portum: Majo* (i. e. majore) *Meduaco: Mino* (minore) *Meduaco: Ebrone: Fossis* (supple *Pbilistinis*): *VII. MARIA: Hadriani*. Nec tamen hic *VII. MARIA* unus est proprie locus, sed is respondet paludibus Hadrianis, post quas Ravennam versus & alia plura ostia fuerunt.

Postremo Herodianus VIII. 7. & accuratius loquitur, ac plane dirimit litem (1): *Maximus Ravenna profectus Aquileiam pervenit, transmissis vadis, quae cum ex Eridani influxu, tum ex circumjectis stagnis exundantia, septem ostiis in mare effunduntur: unde etiam indigenae patria lingua SEPTEM MARIA paludem illam appellant*. Vides, quid *SEPTEM MARIA* Herodianus intelligat, totam scil. Hadrianam paludem, quam ab Ravenna Aquileiam usque pertinuisse dicit. At in oppido hoc ultimo fugit Historicum accurata locorum notitia; non enim Aquileiam, sed Altinum usque *Septem Maria* protendebantur. Auctor accuratioris hujus Antoninus Itinerario: qui postquam ab Roma Ariminum descripsisset itinera, haec deinde subiecit: *Ab Arimino recto itinere Ravennam M. P. XXXIII. Inde navigantur Septem Maria Altinum usque. Inde Concordiam M. P. XXXI. Aquileiam XXXI*. Ex his vides ab Ravenna Altinum usque unam perpetuam fuisse paludem, cui *septem marium* erat nomen. Aut si exacte ad obruffam loqui volumus, qui Ravenna proficiscebantur, ante omnia Padusam (id nomen erat ultimo Padi alveo Ravennam versus) enavigabat; ex Padusa autem per fossam in Hadrianorum paludes, Altinum usque protensas, intrabat. Valgins apud Servium (ad illud Virg. XI. *Piscesque ante Padusae*) sic loquitur: Et

(1) Herodianus VIII. 7. ita scripsit:
Ο δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ραβίνης ἔρπει
ἀπὸ τῆς Αὐλῆς, διαβὰς τὰ τεύχη,
ὡς ὑπὸ τοῦ Ἡριδάνου ποταμοῦ πληρωμένα

καὶ τῶν περιχωμένων, ἔλθον ἐπὶ τὰ στόμα-
τιν εἰς θέλασσαν ἐκχεῖται· ὅθεν καὶ
τῇ φωνῇ αὐτῶν καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι
ἙΠΤΑ ΠΕΛΑΤΗ τὴν λίμνην αὐτήν.

Et placidam, fossae qua jungunt ora, Padusam

Navigat, Alpini flumina magna Padi.

Sed eo redeo. Omnis illa Palus *septem maria* dicebatur (et si Peutingeri tabula uni certo loco eam appellationem tribuit, ex usu fort. suae aetatis) at si quaeras, cur *Septem maria* dicerentur, quae una perpetua palus esset; respondebimus a septem ostiis, per quae tum palus, tum Padus ipse per paludem in mare infunditur, *Septem marium* appellationem Hatrianis paludibus haesisse. Atque haec quae dixi de eo, quid proprie *VII. Marium* nomine veniret, de Caesarum aevō aut ultimis reip. temporibus, volo intelligi: nam antiquissimis Tuscorum temporibus, uti mox dicam, septem haec discreta maria ostendebantur ac vocabantur.

Ceterum supervacaneum fuerit hīc docere, hanc *VII. marium* ῥῆσις (locutionem) esse mere Hebraicam. Vel vide quae ad Gen. I. 10. copiose de ea re disputavi. Interim Plinius, qui Hebraica non attigisset, ad aquarum copiam appellationis causam contulit [*qua largius, inquit, vomit, Septem maria dictus facere*] cum re vera Orientales quaevis aquarum συστήματα [uti Seniores vocant Gen. I. 10.] i. e. coitiones, θαλάσσιος maria dixerint; etiam labra, uti *Mare acutum* in Templi instrumento. At recte Herodiano quia peregrini quidpiam in ea appellatione suboluit, hinc ad patrium gentis ἰδιωτισμὸν genus loquendi retulit: Τῇ φωνῇ ἐαυτῶν, inquit, h. e. *Patria barbarorum lingua*.

Verum, quod multo est mirabilius, non tantum hoc, quod MARIA vocantur quae stagna sunt, sed & ipse marium numerus totus ab Oriente est. Nam tametsi dixi, a septem fossis manasse, ut tota illa continens palus *VII. MARIA* diceretur; tamen, fateor, adhuc residet numeri istius arcanior causa. Nec sum nescius, hunc apud Orientales numerum in honore fuisse, ac plane sacrum: ex quo factum, ut eo maxime numero delectati, etiam quae non essent definita numero, tamen *septena* dicerent. Res est satis in Scripturis per-vulgata. Verum quid istis γειχωτέροις immoror; cum in Palaestina non minus, quam apud Tyrrhenos, *Septem Marium* nume-

numerus celebratissimus fuerit? Non in Scripturis quidem ea *septem maria* inclaruerunt, sed apud scriptores Talmudicos, & apud auctorem *Midrash Tillim*; uti jam notarunt Ligtfootus, Bochartus, & Hadr. Relandus in suae Palaestinae I. 37. [1] Numerantur autem in hunc modum. I. *Mare magnum*, ab occasu Palaestinae: at cetera sunt stagna mera. Nam II. *Mare Tiberiadis* est. III. *Mare salsum*, sive *Sodomiticum*. IV. *Mare Samochoniticum*. Cetera tria, quemadmodum in Talmudicis scribuntur non sine magna scriptionis varietate, sunt ad interpretandum difficillima. Ergo V. est *Mare arenosum* i. e. [si Ligtfooto credimus] *Lacus Sirbonis*. VI. sic scribitur, ימא דשלייה sive ימא שלחת; quod equidem interpreto *Mare Siloe* h. e. illa *piscina Siloe*, cujus mentio est Io. IX. 7. Nam Bochartus, qui *Sirbonis paludem* hic latere putat, mihi non se probat. Erat autem haec piscina, si minus aquarum copia, at virtute certe satis nobilis, ut *Siloe* videatur intelligi, cui & Hebraeae litterae favent. VII. Ex se primo nomine, quod diverse in Talmudicis scribitur, *Aquae Parnias* aut *Pameadis*, aut *lacum Phialam*, Relandus excutit. Atque haec sunt clarissima terrae Israëliticae *Septem Maria*: quae cum Bocharto atque Relando nota fuerint, iidemque ex Plinio, Herodiano & aliis nosse potuerint, apud Venetiae Tyrrhenos temporibus vetustiss. maria totidem [h. e. totidem aquarum conceptiones] celebrata fuisse; tamen minor nihil iis de Tuscorum ex terra Chanaan origine suboluisset; imo Bochartum alicubi docuisse, Tyrrhenis nihil prorsus cum Palaestinis commune fuisse. Verum illo redeo.

Horumne Chanaanitidis SEPTEM MARIVM imitatione Tyrrheni similem appellationem Hatrianis paludibus imposuerunt? Non abnuerim. Nam quamvis illorum *Septem Marium* nulla usquam mentio ante scriptores Talmudicos; eam tamen ἐπικλησίων atq. numerum tam apud Hebraeos (teste Thalmude) quam apud Tyrrhenos in Venetia satis antiquum esse, mihi facile persuadeo, ac fort. ab usque Chana-

na-

(1) Etiam in Syro Geographi Nubienfis, & in Prol. exstat *Septem marium* mentio.

nanacis temporibus observatum, quibus videntur Tyrreni in Italiam appulisse. Nec vero Talmudica omnia pro nugis habenda, sed inter carbones plurimos miras tamen ibi latere gemmas, vel hoc unum exemplum declarat. Ergo illorum septem marium Chanaanitidis exemplo, Septem Padi Alveos, totidem appellarunt Maria. Sunt autem haec alveorum illorum, sive septem marium nomina: I. *Padusa*: II. *Spines*: III. *Caprasiae*: IV. *Sagis*: V. *Olanae*: VI. *Carbonaria*: VII. *Fossiones Philistinae*. Ex his quartum, sextum, ac ultimum a Tyrrenis manu effossos fuisse (quis scit annon etiam *Caprasias* foderint?) infra ostendetur. Ac fieri potest, idcirco ab eis nec plures nec pauciores fossas *Marium* appellatione donatas, nim. ut Palaestinae maribus par hic quoque numerus marium constaret. Nolo autem omittere, visum fuisse nonnullis, *Fossiones Philistinas* non unius certi alvei nomen fuisse, sed commune omnium talium manu factorum. Id quidem possim non admittere, veritus ne alioqui non septem, sed tantum sex ostiorum numerus constet. Verum si quidem ita se res habuit; tum *Mare Magnum* i. e. Hadriaticum, aut Internum totum, numerabitur omnium primum [ut & in Palaestina factum] ut Maria septem existant.

Quid si non modo patiar, *Philistinas fossiones* fuisse commune sex ceterarum nomen; sed ultro id adstruam? ut plane septenarius ille numerus ex *Mari magno*, simul & ex sex reliquis fossis (aeque ac in Palaestina) constetur? Atque ita certe loca poetarum vetustissima duo, Livii & Ennii apud Festum arbitrari me jubent. Prior Livii Andronici est apud Festum in OCREM:

Celsosque Ocris, arvaque patria, & MARE MAGNUM.
Scite Scaliger in Conject. petrita pro patria, uti stet versus, reposuit. Alter est Ennii apud eundem in TONSAM:

Alius in MARI vult MAGNO tenere tonsam.

Qui poetae undenam *Mare magnum*, nisi ex Tuscia didicere? Ergo ea lege *Philistinas fossiones* nomen fossarum generale fient, modo *Mare magnum* primorem inter Tyrrenica septem Maria locum occupet.

Postre-

Postremo futuros suspicor, qui istud objiciant, fuisse a me supra demonstratum, nomine *septem marium* venisse Hatrianas paludes, h. e. unum perpetuum stagnum, quod ab Ravenna Altinum usque enavigabatur: quo nunc pacto, mutata sententia, alveis nomen illud tribui? Deinde ut alveorum hoc nomen fuerit; at interfusa inter fossas palude, unum non septem maria dici debuisse. Quibus sic respondeo, nihil me malle, quam ut apud Tyrrhenos septenarius is numerus demonstrari nequeat: nam hoc modo apud Tuscos magis imitandi Orientis studium enitesceret, quasi qui id operam dederint, ut apud se quoque ea septem maria jure aut injuria celebrarentur. Verum quod ea appellatio Hatrianae paludi, quae una & perpetua est, tributa fuerit; id sub Caesaribus, aut paullo ante factum, quando interfusis quaquaversum vadis, ex septem discretis maribus sive alveis, unum continens stagnum evasit. Ac certe vel ipsum *VII. marium* nomen evincit, fuisse olim fossas septem fassis intervallis discretas. At postmodum ubi interfusa palude, unum aquarum σύστημα [*conceptio*] ex illis septem Altinum usque coaluit; tamen penes istud Hatrianorum septiplex [et si in speciem continens] stagnum eadem illa vetus *septem marium* ἐπικληρία perennavit. Omitto, quod in Peutingeriana Tabula [aevo, uti volunt, Theodosiano facta] uni certae mansioni *VII. marium* nomen haeserit: usque adeo, sicuti locorum facies, sic & appellationum proprietates immutantur. Ac de *Septem Mariibus* tantum.

§. II.

De fossionibus Philistinis; deque Asagis ac Sagi.

VENIO ad *Fossiones Philistinas*, quarum ibidem his meminit Plinius, ubi quibusdam ostiis a se recensitis adjungit haec: *Inde ostia plena, Carbonaria, ac Fossiones Philistinas, quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philistinae fossa*

fae abundantione nascentia. Vbi ridendum plane se praebet Dalechampius, dum id vocabulum arcessit a *Tuscorum tribubus & decuriis* [*φύλας Graeci vocant*] *ejus rei causa accitis*, uti vir doctus loquitur. Neque vero hic in eam curam descendam, ut pluribus demonstrem, *Philistinos* harum fossionum auctores non alterius fuisse originis, ac *Philistinos* in sacro Codice notissimos: de quo ego minime dubito. Fuere & in vicina Umbria *Pelesini*; quos diserte Plinius III. 14. in censum populorum Umbriae retulit: Umbriam autem a Tuscis habitatam, antequam inde a Gallis exigerentur, idem Plinius, ubi de Umbria, testatur. Quin & Umbri ipsi aut antiquiores Tuscis erant, aut paris certe antiquitatis: nisi vero nomine potius, quam genere diversi a Tuscis erant.

Iam vero si in ipsum *Philistinorum* nomen inquirere libet, a *פְּלִשְׁתִּים* *phelash* [quod ex usu tum Chaldaico, tum etiam Syro est *fodere*] illi nomen deductum habent: nec ab eo nomine vitae illorum institutum abhorret, quos Gen. XXVI. 18. [ubi prima *Philistinorum* mentio occurrit] circa puteos fuisse occupatos reperio. Ergo inter Tuscos tum Padi accolas, tum Umbriae, fuere qui *Philistini* dicerentur, quorum opus esset librare (1) aquas, fossas ducere, easque aggeribus ac vallis munire: in eamque partem, difficilem Plinii locum accipio, de cujus obscuritate diu est, quod Cluverius, Cellarius, aliique viri doctissimi conqueruntur. Is ibidem sic loquitur: *Proximum inde ostium Caprasiae: dein Sagis: dein Volane, quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina fossasque primi A SAGI* (in aliis libb. est junctim ASAGI) *fecere Tusci; egesto amnis impetu per transversum in Atrianorum paludes, quae Septem Maria appellantur. Ac nemo est, quin in illo ASAGI difficultatem sentiat. Nam videtur significare, fossas omnes, quae a Sagi Volanem versus sunt, a Tuscis factas: cum tamen inter Sagim & Volanem nullus sit medius alveus. An non ergo inepte dixit Omnia . . . a Sagi fecere*

Tom. II.

O

Tusci?

(1) Nempe ut sit ex Hebr. *פְּלִשְׁתִּים* *phil-*
les, quod verbum in aquis fossisque
librandis valet. Ac non temere est quod

Palaeestina in Talmudicis cum Samech
scripta reperitur.

Tusci? Fuit, cum crederem, hîc significari, omnia quidem a Tuscis facta, sed primum, quod fecerint, fuisse ostium Sagim. Id si est; illud A SAGI non loci, sed temporis ordinem complectitur. Nec eos damno, qui *Sagim* hîc oppidi nomen fuisse volunt, a quo Tusci fodere inceperint. Verum his missis, ut aliquid retrusius, ac simul credibilius afferam; hoc primum omnium sciendum est, Padi fossas, per quas impetus amnis egeritur, uti nunc in utraque ripa vallantur aggeribus ad prohibendam illuviem, sic olim quoque eisdem septas ac permunitas fuisse: alioqui tabefactis verno tempore nivibus (sive *ad canis ortum*, ut ait ibidem Plinius, quod hic ex Polybio didicit, qui II. 16. dixit: *περὶ Κυνὸς ἐπιτολὴν αὐξόμενος ὑπὸ . . . ἀνατηχομένων χιόνων*) tabescentibus, inquam, nivibus omnis Circumpadana regio sub vadis delituisset. Ac sane aggerum, quibus amnium ripae utrimque vallantur, multa ubique exstat apud antiquos mentio. At hujus rei significantia inest vocabulo SAGIS; quod fit ab Hebraeo יסג *sug* (cujus tum praeteritum tum participium est יסג *sag*) quod verbum Cant. VII. 2. *sepire* significat: eademque notione idem verbum passim a Chaldaeis ac Syris usurpatur. Nunc si a me quaeras, cur unus ex Padi alveis vocaretur *Sagis*; respondebitur, quia ea vox *sepem* significat, nim. quia is alveus aggeribus utrimque septus erat. Iam vero in recitatis Plinii verbis si in illo *A Sagi*, oppidi nomen indicari vis [id quod plures censuerunt, permoti Pseudo-Catonis auctoritate, a quo *Saga* in hoc tractu ponitur: sed Pseudo-Catone valere jussu, in Peutingeriana Tabula SAGIS AD PADVM in eadem regione occurrit, quod oppidi nomen esse potuerit] verum si *Sagis* in Plinio est oppidum; ab incolarum opificio, si me audis, id oppidum nomen traxerit, quod oppidani in perfodiendis ac vallandis alveis operam impenderent: ex quo porro sequetur, illud *Tusci a Sagi* idem fore, ac *Tusci domo Sagi*; non enim quilibet Tusci operum illorum auctores erant, sed *Sagitani*. Quid si scriptio altera sit verior, *primi Asagi* [junctim] *fecere Tusci*? Pulcra sane lectio, qua significatur, fuisse quoddam Etruscorum genus, qui ab opificio dice-

dicerentur *Asagi*, Heb. *הסגים* *Hassagim*, i.e. *sepientes*; ita ut emphatica prima littera pars vocabuli evaserit, quod non est insolens; unde postea, remoto spiritu, *Asagi* dicti Italici fuerint. Atque horum opus fuisse cunctos Padi alveos, facile crediderim. Itaque Etrusci illi, qui fossarum auctores erant, a fodiendo dicti sunt *Philistini* [nec alterius facile generis a *Philistinis* Sacri Codicis] a sepiendo vero & vallando *Asagi* vocabantur. Deinde in Plinii *Fossionibus Philistinis* idem accidit, quod in *Aequis Faliscis*, *Clusium Camers*, aliisque bilinguibus Etruriae nominibus, quae in Dissertatione innuimus, in quibus Latina vox tantumdem valet, quod Tusca prior. Haec [ut obiter moneam] quae ex Orientis linguis sunt exposita, quaeque in sequentibus passim explicabuntur, ii potissimum aequi bonique consulent, qui norint, quae via ac methodo viri summi in hoc litterarum genere sint versati. Atque haec de satis arduo Plinii loco. Nam Cluverium quis ferat, qui sine ullius libri auctoritate illud a *Sagi* in a *Pado* mutaverit? Quid enim simile? sed nota est viri doctissimi in emendando licentia. Haecenus de *Philistina fossa*, aliorum quorundam alveorum matrice [Plinio ibidem scribente: *Omnia ex Philistinae fossae abundantia nascentia*] tum etiam de *Asagis* [si modo ulli fuere] deque *Sagi* sive oppido, sive tantum alveo, hausisse ex Oriente sufficiat.

§. III.

Padi olim alvei majores qui fuerint. Deinde singulorum nomina ex Asiaticis linguis explicantur.

DE *Sagi* quarto Padi ostio modo dictum fuit. Quin porro ceteros alveos percurramus, experturi, utrum Hebraicas significationes praeferant? Sed ante omnia nosse proderit, ecquam Padi ostiorum dispositionem Polybius afferat. Is lib. II. cap. 16. ait (1): *Duobus ostiis in Sinum Hadriaticum effunditur*. Mox paucis interjectis, quae sint duo ostia

O 2 de-

(1) Ποιῖ δὲ τὴν ἰσθμὸν δυεὶ στόματιν εἰς τοὺς παρὰ τὸν Ἀδριανὸν κόλπους.

declarat: (1) *Ad Trigabolos*, quos vocant, in duos alveos scinditur, quorum alter *Padua* (sive *Padusa*) alter *Olana* dicitur. Ex quibus animadvertitur, duos tantum alveos hunc agnovisse. Quid ceteris quinque fiet? Nam septem admodum Plinio numerantur; nec quisquam vero est, quin septem ostia Pado tribuerit. Respondent Cluverius Cellariusque, hos tantum duos antiquos & naturales fuisse, ceteros postea manu effossos a Tuscis: *Omnia haec* (ait Plin. III. 16.) . . . *fecere Tusci*. Verum sciendum est, Padum a Polybio describi, vel qualis se scribente erat, vel certe qualis erat sub Gallorum adventum, cujus adventus gratia Padum describit. At jam diu antea Tusci per fossas manu factas numerum alveorum fecerant auctiorem. Imo cur non potius respondebimus, hoc sibi velle Polybium, duos tantum naturales ac majores quasi ramos ex trunco uno propagari *Padusam* & *Olanam*; ceteros non naturales esse, nec cum his conferendos, quia minores erant, & ex his duobus propagabantur? At inquis, cur ne *Spinetici* quidem meminit, quod Troicis exstabat temporibus, tantaeque jam tum magnitudinis, ut Pelasgi per illud ingressi, naves in eodem reliquerint, teste Dionysio? Suspicio hoc Polybii de *Spinetico* silentium, junctum cum Dionysio modo citato, fuisse Cellario causam, ut *Spineticum* ac *Padusam* unum idemque fuisse crediderit. At nonne Plinius unum ab altero diserte distinxit? Nisi vero distinguatur, quo pacto septem ostiorum numerus confiet? Ad Polybium vero quod attinet; idcirco, opinor, *Spinetici* non meminit, quia hoc quoque ex *Padusa* (uno ex duobus ramis) sive arte, sive potius antiquitus vi fluminis, propagatum fuerat. Ceterum alyei septem sic numerantur: *Padusa*, *Spines*, *Caprasiae*, *Sagis*, *Olane*, *Carbonaria*, *fossiones Philistinae*.

Padu-

(1) Σχίζεται δ' αὖς δύο μέρη, κατὰ τοὺς προσκαγορευομένους Τριγαβόλους· τὸν

παρὰ δὲ τὸ μὲν ἴτερον εἶμα προσονομάζεται Πάδωα, τὸ δ' ἴτερον Ὀλανά.

I. P A D V S A.

Padusae originationo nihil admodum negotii faceffit, quippe a *Pado* derivatum nomen habet: de *Padi* autem, & *Eridani* etymologiis supra in Dissert. (1) primaria dictum fuit. De *Padusa* sic Plinius habet: *Angustā fossā* (Cluverius legendum putavit *Angustā fossā*, maxime cum in Peutling. Tabula eo tractu inscribatur *AVGVSTA*, sive oppidum id fuerit, sive potius ipsum ostium) *Ravennam trahitur Padus, ubi Padusa vocatus, quondam Messanicus appellatus* (2).

II. S P I N E S.

Padusam excipit *Spinericum* ostium longe celebratissimum, de quo non dubito, quin sit ab Hebr. ספינה *sepina*, sive (absorpto *seva*) *spina*, quae vox Ionaë I. 5. navim magnam ac tectam designat; eadem vero dictio & Chaldaeo & Syro & Arabico sermone est plurimo in usu ad *navim* significandam. Cur vero hoc ostium a Navi *Spinericum* appellaverint, in promptu est ratio, quia olim ex omnibus *Padi* ostiis hoc maxime patiens majorum navigiorum erat, idque a temporibus antiquissimis. Dionysius lib. I. eos, qui ibidem *Spinam* urbem condiderunt, naves reliquisse ait in *Padi* ostio Σπιωντι καλυμένω, quod *Spinericum* dicebatur. Sed Plinius majora praedicat: *Proximum inde (a Padusa) ostium magnitudinem portus habet, qui Vatrei dicitur, quo Claudius Caesar, e Britannia triumphans, praegrandi illa domo verius, quam nave, intravit*

(1) Pag. 79. & seqq.

(2) Equidem Cluverianam correctionem verissimam judico, nec dubitaverim illam in textum recipere. Et tamen ineptissimum illud *ANGVSTA* praeclarissimis quibusque editionibus adhuc haeret, ne adnotata quidem usquam Cluverii correctione. Sed cedo, quomodo fossa, per quam *Padus* *Ravennam* trahitur, *angusta* fuerit, cum Iornandes *altissimam* illam ab *Angusto* factam, appelleret, quae & portum praebuerit? sed proderit verba ipsa Ior-

nandis in Gothicis, ubi de *Ravenna*, adscribere: *AB AVGVSTO imp. ALTISSIMA fossā demissus (Padus) septima sui alvei parte mediam influit civitatem (Ravennam) quia ad ostia sua amoenissimum portum praebens, Classē CCL. navium Dione referente . . . credebatur recipere.* Nova haec *AVGVSTA* fossa, ex *Padusa*, ut opinor, derivata fuit, per quam fossam effectum est, ut *Padus Ravennam* traheretur, uti loquitur Plinius.

travit *Adriam*. Hoc ante *Eridanum ostium dictum est* (1); aliis *Spineticum* ab urbe *Spina*, quae fuit juxta praevulens, condita a *Diomede*. Non est ergo dubium, quin hoc nomen huic ostio ac portui a navibus majoribus inditum fuerit: sicuti hodieum inter *Ravennam* *Padumque* alveus est (diversus tamen a *Spinetico*) qui, utpote commeatibus serviens, vulgo appellatur, *Canale del Navilio*, aliter di *S. Alberto*. Nec assentior *Plinio*, qui ab urbe *Spina* manasse ait, ut ostium *Spineticum* diceretur: nam & vocabulum ספינה, *spina* (h. e. *navis*) alveo portuique, quam urbi est accomodatius; & *Dionysius* ante urbis ullius conditum ostio id nomen tribuit: sic ille lib. I. de *Spinae* conditoribus (2): *Atque ad unum ex Padi ostiis, Spinetem nomine, appellentes, ibi nares reliquerunt*. Infra eodem lib. (3) *Relictis ad Spinetem amnem in Ionio sinu* (alternant enim apud Graecos scriptores *Ionii* & *Adriatici* nomina) *navibus, Crotonem in mediterraneis ceperunt*. Quod si tamen urbi prius, quam ostio, *Spinae* nomen impositum pertendis; negabo hanc a *Diomede* primitus conditam, sed ex nominis *Orientalis* indicio facile credam, illam a *Tusculis* initio positam, postea a *Diomede* colonis auctam & laevius aedificatam. Cur, inquis, urbem hanc appellaverunt *Spinam*? quia navium stationem fidissimam habebat; aut vero ob hanc, quae sequitur, causam. Plures eaeque clarissimae urbes fuerunt cum *Thebae* i. e. *Arcae* sive *navis* nomine, non alia de causa, quam quia, cum essent μεσοποτάμιοι [i. e. *interamniae*] speciem *arcae* aquis circumfluae praeseferebant: de quo vide dicta in *Dissert. de Arca* ad Gen. VI. Ob eandem rationem urbs haec [si modo prior quam ostium, nomen est *Spinae* nata] *Spina* i. e. *navis* dicta a *Tyrrhenis* fuerit. Sed malo, ostium prius [quod *Dionysius* innuit] id nomen adeptum.

At idem ostium olim quidem *Spines*; postea, *Plinio* au-

(1) Sicuti *Padusa* (ostium primum) a *Pado* appellata, sic etiam *Spineticum* vocabatur ab altero amnis nomine *Eridanum*.

(2) Καὶ πρὸς ἐνὶ τῶν τοῦ Πάδου α-

μάτων ὁρμινάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναὺς αὐτῇ ταύτῃ καταλείψουσιν.

(3) Ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωναν πόλιν ἐν μεσογείῳ εἶλον.

auctore, *Varreni* ostium crebrius dicebatur. Verum hoc ipsum *Varreni* nomen etsi aetate Plinii erat usitatus altero, tamen antiquissimum, ac certe Tuscum fuisse, origo Orientalis docet. Nam derivatur ἀπὸ τῆς בָּתֶּר *batter*, quod est *dividere*, aut a בָּתֶּר *beter*, *portio*. Nam cum Padi ostiis tota illa regio in plures portiones interscinderetur; una aliqua ex Tuscorum φυλαῖς [*tribubus*] cui pars inter Spinetem & proximum ostium obtigisset, forsitan dixerit בָּתֶּרֵנוּ *batrenu*, haec nostra portio est; atque hinc *Varreni* nomen ei ostio haeserit. Qui locorum sexcentas ἐπιληψίας (*appellationes*) in Genesi obvias legerit, hanc certe illis apprimè consentaneam non diffitebitur.

III. C A P R A S I A E.

Sequitur ostium tertium, *Caprasiae* appellatum, numero multitudinis. Ac quemadmodum *Spinericum* ab urbe *Spina* nomen obtinuisse, Plinio verisimile fuit; sic *Caprasias* villarum plurimum ad ostium hoc positarum nomen fuisse, & inde ostium eodem postea nomine appellatum, facile crediderim. Ut ut est; certe nomen ostii hoc ipsum, quod dixi, significat: nam *Caprasiae* est כַּפְרֵי צִיָּא *capre sia* i.e. *Villae* aut *Oppida ostii* sive *exitus*. Prior vocabuli pars Hebraeis, Chaldaeis, Syris, Arabibusque *pāgum* aut parvum oppidum notat. In posteriore vero parte neminem turbet, quod *Sia* sit pro *Iesha*: nam in יֵשׂא *jasa*, *exitus*, & ejus derivatis perquam familiaris est aphaeresis primae litterae.

IV. S A G I S.

Caprasias excipit *Sagis*, de quo jam superiore Sectione occupavimus dicere.

V. V O L A N A.

Hunc proxime sequitur *Volane*: quod ostium antea *Olanem* fuisse nuncupatum, testatur Plinius; nec aliter quam Ὀλωνα Polybio dicitur lib. 2. cap. 16. ubi scribit, Eridanum juxta Trigabolos in duos alveos scindi, quorum unum *Padusa*,

sa, alterum *Olana* diceretur. Vide Polybii locum initio huius Sect. ex quo loco intelliges *Olanem* & *Padusam* veros ad naturales Padi alveos fuisse, ceteros (si *Spinericum* forte excipias) fuisse verius fossas manu factas a Tuscis ad vim amnis egerendam. Quare videndum annon *Olane* [quae in Chifletiano Plinii MS. est *Alana*] veniat ab Arabico verbo *ألا* *alana*, quod est *patefacere*, ita ut vox *Alana* sive *Olana* no-
tet *ostium*, sive *apertionem*, per quam amnis egreditur. Sed fateor, aegre me adduci, ut ex Arabico fonte etyma Etruscorum deducam; quae multo reperi semper in Hebraea, Chaldaea, Syraue linguis aptiora. Ergo *Olana* est ab Hebraeo verbo *אלה* *ala*, *ascendere*, ex quo adscito N (quia hoc genus verborum quiescentium tertia, saepe in derivatis assumit N in fine) fit *Olan* h. e. *ascensus*: quod vocabulum respondet Graeco *ἀνάπλους*, quod de fluminum navigabilium ostiis usurpatur, quoties a mari sursum versus enavigatur. Itaque Strabo in suis fluminum descriptionibus, ubique pensi habet adnotare, an habeant *ἀνάπλους* (h. e. *ascensum navium*, sive a mari sursum versus navigationem) aut quousque sive ad quotum stadium sit *ἀνάπλους*. Verum ne plura: Polybium in medium afferre suffecerit; qui lib. 2. de hac ipsa *Olana* apposite *Ascendendi* verbo utitur: *ΑΝΑΠΛΕΙΤΑΙ δ' ἐκ θαλάττης κατὰ τὸ σῶμα τὸ καλούμενον Ὀλانا, σχεδὸν ἐπὶ δισχιλίουσ σαδίου. Ascendunt in eo (Pado) naves e mari per ostium Olanen ad bis mille propemodum stadia.* Vides, ut *ἀνάπλους* sive *ascensus* sit vox ostiorum navigabilium celeberrima. Atqui *Olane* [sive gutturali prima littera mutata in Digamma, unde existet posterior Pliniana appellatio *Volane*] si ex Hebraeo exponatur, tantumdem plane erit, quod *ἀνάπλους*. De qua *ἐτυμολογία* minime est dubitandum; sicuti nec de ea, quae jam sequitur.

VI. CARBONARIA.

Carbonaria ipso suo nomine prodit, se unam esse ex fossis illis, non natura, sed arte per Tuscos excavatis: id quod & in *Sagis* nomine [quod Sect. 2. exposuimus] & in *Fossio-*

πηνη

num *Philistinorum*, apprehenditur. Verum ad *Carbonariam* quod attinet; sciendum est, hodie id genus fossas, quae a rusticis ad *siccandam* in agris paludem fiunt, a nostratibus agricolis vocari *Seccatoj*, sive *Asseccatoj*. Nec aliud prae se ostendit *Carbonariae* nomen: nam a verbo Hebraeo *חרב*, *charab* h. e. *siccari* fit Hebraicum nomen *חרבון*, *charbon* [cujus tantum plurale reperitur Pl. XXXII. 4.] i. e. *siccitas*, & Chaldaicum *חרבונא* *charbona* significationis ejusdem, quod citat Aruch ex Targum Hier. Deut. XXVIII. 27. etsi ibi in nostris hodie *גרבא* *garba* legitur, quae est *scabies sicca*. Ergo apud Tyrrenos *Carbona*, sive (quia Etrusca dialectus Rhotacismo maxime laborabat) *Carbonar*, erat fossa ad emungendam paludem facta [i. e. *Seccatojo*] unde terminatione Latina est *Carbonaria*.

VII. FOSSIONES PHILISTINAE sive TARTARVS.

Fossiones Philistinae, ultimus Padi alveus [nisi vero ex nonnullorum sententia sit sex ceteris commune nomen] jam sectione superiore sunt expositae. His fossionibus etiam TARTARI nomen haesisse, memorat Plinius III. 16. *Inde ostia plena: Carbonaria, ac Fossiones Philistinae, quod alii TARTARVM vocant*. Putatur hoc alterum nomen ex eo quaesitum, quod proprium esset ostium Tartari amnis, cujus meminit Tacitus in III. Hist. ubi *Paludes Tartari fluminis memorat*. Ceterum *Tartari* nomen Orientale esse [quo frigus intensissimum ad tremorem adigens notatur] ostendi pluribus ad Kalend. marm. ad XIX. Maii in S. Patritii Acta pag. 385. tota Adnot. 198. Ibi vide.

Atque haec sunt Padi ostiorum Tusca nomina, satis feliciter, nisi mihi met ipse abblandior, ex Hebraeo ejusque dialectis explicata.

DIATRIBA II.

DE OCNO MANTVAE ET FELSINAE CONDITORE,
DEQUE PERVSIA. AD SERVII LOCVM COM-
MENTARIVS.

Quae Servius ad illud Virgilii X. 198.
*Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
 Fatidicae Mantus & Tusci filius amnis.*

Quae, inquam, adnotata reliquit, ea per partes heic illustrare est animus. OCNVS. *Iste est AVCNVS*, quem in *Bucolicis* BIANOREM dicit, ut: Namque sepulcrum Incipit apparere Bianoris. *Hic Mantuam dicitur condidisse*. Duplex, uti vides, huic conditori nomen fuit, Graecum unum *Bianoris*, Tuscum i. e. Orientale alterum *Ocni*: qui variante dialecto *Aucnus* etiam dicebatur: nam quod Hebraei per vocalem O efferebant, id Syri, & Arabes, imo & Etrusci reddebant interdum per *Au* diphthongum. Quum ait Servius *Iste est AVCNVS*, Tuscam pronuntiationem subindicat. Verum quod magis ad rem facit, idem OCNVS apud Orientales significat, quod apud Graecos BIANOR. Posterius nomen derivatur a βία *violentia*, aut a βιάζω *vim infero*: at OCNVS est ab πῡ OK, quod Hebraice in *Hipbil*, aut Chaldaice in *Apbel* significat *premere*, *artare*, *vim* aut *molestiam inferre*. Nec ab his Syriaca ejusdem verbi significatio longe abit. Pergit Honoratus Maurus: *Hic Mantnam dicitur condidisse, quam a matris nomine appellavit: nam fuit filius Tyberis, & Mantus, Tyresiae Thebani varis filiae, quae post patris interitum ad Italiam venit*. Si a matris suae nomine conditor nomen imposuit, nihil est, cur in hujus urbis nomine interpretando quis se excruciet. Tantum adnotasse satis erit, nihil in *Mantus* voce reperiri, quod non Orientalis nominis ingenium redolet. Adde quod non pauca ex Oriente nomina Graeci in quartam contractorum κλίω (*declinationem*) redegerunt, ut *Manto*, *Dido*, *Io*, &c. Sed ta-

men

men Servius ad finem adnotationis hujus alteram de *Mantuae* conditore & nomine narrationem posuit; quae sic habet: *Alii a Tarchonte* (*Tarchon* mere Hebraicum nomen est, sola terminatione diversum a *תרח Terach*, quod Gen. XI. Abrami patri nomen fuit: nam a *תרח Terach*, variante dialecto, fit *תרחון Tarchon*) *Tyrreni fratre conditam dicunt: Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua MANTVM Ditem patrem appellant, cui etiam cum ceteris urbibus & hanc consecravit.* Si *Mantua* dicitur ab Etrusco vocabulo *MAN-TVS*, quod *Ditem* significat; videamus porro, an hoc Tyrrenicum vocabulum possit Orientali sermone eam notionem habere. A verbo *מנח manab* (quod est *numerare, supputare &c.*) tum *מנח Maneb* (a quo Graecum est *Μνᾶ*, i. e. *mina*) h. e. *libra, pondo* fit; tum & *MAMMON* existit (ex quorundam saltem sententia apud Buxtorfium in *Lex. Chald.*) quod est Punicum Ditis vocabulum; tum etiam postremo Chaldaicum *מנתא Manta* (quod Syriace *Manto* pronuntiatur) quae vox, quia apud Targumistas *certam ac numeratam portionem* significat; hinc, credo, *Pluto* divitiarum Deo nomen quaesitum fuit, ut *Mantus* ab Etruscis diceretur, qui Deus suas cuilibet portiones attribuere credebatur: quae portiones quum nec aequae darentur omnibus, nec pro cuiusque merito, hinc Deum hunc oculis captum fixerunt. Haec quum sint satis clara; tamen Etrusca vocabula universa (& in his *MANTVM*) nihil complecti Hebraicum aut Phoenicium eruditissimus Bochartus pronuntiavit. *τὶ παθόν*; Antequam vero hinc abeo; fuit & Carpetanorum urbs *MANTVA*; quae hodie (teste Lud. No- nio cap. 71.) pagus est nomine *Villa-Manta*, solis tribus milibus a Matrilo Hispanorum regia distans. Hujus urbis nomen non alios conditores prae se ostendit, quam Phoenices, aut Poenos, aut quicumque demum oppida in Hispania cum Syriacis nominibus fundaverunt.

Sed redeo ad Servium. Is post illa verba, quibus ex plurium sententia Ocnium Mantuae conditorem fecerat, haec, quae huc reservavi, subjecit: *Hunc Ocnium alii Auletis filium* (dicunt) *alii fratrem, qui* (i. e. ejus Auletis qui) *Peru-*

fiam condidit. Ergo *Perusia* fundator Auletes fuit. Dices fortasse, *Auleris* nomen Graecum esse, non Orientale. Verum familiare Graecis fuit, nomina ex Hebraicis Chaldaeis Syrisve interpretando Graeca facere. Is credo AMBVBVS (i. e. אבוב *Abub* ; unde Ambubaiae Horatio sunt tibicinae Syrae) Tusco ac patrio nomine dicebatur: id quia asperum & confragosum ad pronuntiandum erat, ejus interpretationem in suis historiis Graeci maluerunt ponere, & *Auleten* vocarunt. Ceterum *tibias* Syriacum negotium esse nemo ignorat. At *Perusia* certe (hujus Auletae opus) nomen praefert mere Hebraicum: qua lingua, a radice פרו fit plur. פרוות *perasorb*, tamquam a sing. פרוה *perasab*, ac praeterea masc. פרוון *perason*, quorum utrumque oppidum sine muro aut pagum designat: indidem fit etiam פרוי *perasi*, *paganus*. In quibus vocibus Zain emolivi in modum sibili, quia revera ejus pronuntiatio parum ab S aberat: ut videre licet in Latinis *Graeciso*, *patrifo*, pro *Graecizo*, *patrizo*, & aliis. Ergo ut de *Hadria* vidimus, sic etiam *Perusia*, sic & ceterae, opinor, Etruscorum urbes initio pagi erant (nam & ante Theseum Athenae non aliud erant, quam multitudo pagorum) deinde Ocnus ea oppida ut permunirentur, permisit: id quod ex Servio discimus, qui ad finem adnotationis hujus addidit, Ocnus *permisisse etiam exercitui suo, ut castella munirent, in quorum numero Mantua fuit*. Quae sic accipe, permisisse illum suis, ut qui pagi erant, eos in castella munita converterent, fortassis ad vitandas Auletae insidias.

Sed jam ad Servium redeo, apud quem sequitur Ocnus, *ne cum fratre (Aulete) contenderet* (relicto scil. Auletae fratri agro Perusino, qui est in Umbria) *in agro Gallico* (κατὰ πρόληψιν *per anticipationem* sic loquitur Grammaticus; nondum enim Galli irruerant in Italiam) *FELSINAM*, quae nunc Bononia dicitur, condidisse. Male in Servio, quo utor, *CESENAM* legitur: in Servio suo Cluverius *CELSENAM* reperit. Sed certe quae postea Bononia dicta fuit, non aliud quam *FELSINA* esse debuit. Arabico sermone פרץ *pbels* est bonorum cessio (vide Schindleri Lex. pen-
ta-

taglot.) quod Servii narrationi mire congruit , apud quem Ocnus , ne cum Aulete contenderet (similia Moses de Abramo & Loto narrat) relicto fratri Perusino agro , ipse *Felsinam* aedificavit , nomine scilicet ab eo , quod evenerat , imposito ; quia fratri suo *pristina possessione cesserat*. Atque hoc est *Felsinae* etymon. Nam alterum *Bononiae* nomen a Boiis postea impositum volunt. Esto : nam nolo nunc de eo contendere , de quo mox disputabitur . Sed nego tamen (id quod vulgo persuasum habent) BONONIAM dictam quasi *Bojoniam* . Nec vero illud concesserim , a Belgica *Bononia* factum , ut idem nomen , quippe apud suos usitatum , in Italiam transfunderent , ac *Felsinae* vocabulum in BONONIAM transmutarent . Imo potius in Belgicam *Bononiam* ab hac Italica nomen manasse certissimum habeo . Haec enim a pluribus jam saeculis *Bononia* vocabatur . At illa altera aevo sequiore coepit *Bononia* dici , quum antea *Gessoriacum* (id Gallicum urbis vocabulum erat) diceretur : uti constat ex Tabula Peutingeriana , in qua sic rescribitur : *Gesoriaco quod NVNC Bononia* . Noli tamen rō NVNC hujus Tabulae sic interpretari , quasi aevo Theodosiano ea appellatio primum coeperit ; nam jam antea id nomen Eumenius & Zosimus usurpaverant ; ut satis verisimile videatur aevo Constantini , aut paullo ante , Gessoriaco etiam *Bononiae* nomen accessisse . De Pannonica *Bononia* (cujus est in Itinerario mentio , quaeque antea *Milatis* dicta creditur) utpote obscurissimi nominis , imo & recens sic appellata , idem esto judicium . Ergo *Bononiae* nomen prima urbium omnium *Felsina* obtinuit . Quo primum tempore , & a quibus id nomen est consecuta ? Quamquam difficile dictu est ; adnitar tamen , si qua possim . Si Plinium III. 15. audimus , videtur is *Felsinae* nomen non ulterius in ea urbe prorogasse , quam quamdiu a Tuscis tenebatur ; sic enim ait : *Bononia , Felsina vocitata , quum princeps Etruriae esset* . Idque secuti sunt Cluverius & Cellarius , quippe qui a Bojis Gallis *Bononiae* nomen arcessunt . Sed in Plinii breviloquentia non est mirum , accuratationem desiderari . Livius in his multo est tutior dux , quem video gestis ,
usi-

usitata tunc, quum ea gesta fierent, perpetuo nomina accommodasse. At is XXXIII. 37. in anno V.C.DLVI. sic posuit: *Dein junctis exercitibus (consules) primum Bojorum agrum usque ad FELSINAM oppidum populantes peragraverunt.* Vides post centenos aliquot annos a Gallorum adventu adhuc perdurasse *Felsinae* nomen. Mox post septennium, ubi de Latina Colonia in eam civitatem deducta agitur, tum demum *Bononiae* nomen Livius usurpavit XXXVII. 57. *Eodem anno (V.C.DLXIII.) A. D. III. Kal. Ianuar. Bononiam Latinam Coloniam ex S. C. IIIviri deduxerunt Ager captus de Gallis Bojis fuerat : Galli Tuscos expulerant.* Paterculus I. 15. *Cn. Manlio Volsone, M. Fulvio Nobiliore Cos. Bononia deducta colonia, abhinc annos ferme CCXVII.* Ex his vides in eo tantum septennio, qui ab anno 556. ad Coloniae deductionem effluxit, novum hoc nomen quaerendum fuisse. Id quum ita sit, sequitur ab Romanis inditum. Qua de causa? an quia, ubi in horum potestatem venit, non Tusco, sed Latino vocabulo appellari placuit? Id si sequimur; necesse est in ipso anno V.C. 556. (quo anno *Ea urbs (Felsina) ceteraque castella . . . in ditionem venerunt,* ait Livius XXXIII. 37.) novae appellationis initium consignare. An potius ubi de deducenda colonia iniit cogitatio, simul novum est nomen inductum? sic prorsus censeo, qui sciam in coloniarum deductionibus, quippe quae ut vera civitatum γενέθλια (*natalia*) haberentur, nova ferme nomina, eaque Latina, fuisse imposita. Confirmat id Festus in BENEVENTVM, ubi ait: *BENEVENTVM, Colonia quum deduceretur, appellari coeptum est, melioris ominis causa: namque eam urbem antea Graeci incolentes μαλοίτιον (viri docti hoc in μαλόεντα, sive Aeolice μαλόεντον transmutarunt, nam μαλοίτιον nihil est) appellarunt.* Idem in SEGESTA sic posuit: *Segesta quae nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Aeneas condidisse, praeposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. Sed praeposita est ei S littera, ne obsceno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum dictum est, & in Epidamno, quod usurparunt Dyrrachium.* Vides Romano-

rum

rum consuetudinem in deducendis coloniis permutandi nomina, sicubi id opus esse duxissent. Ergo, si me audis, nominis hujus epocha in ejus, quem dixi anni fine (qui est ante Servatoris ortum nonagesimus supra centesimum) figenda est, Romanis, non Bojis auctoribus. Quid enim Celtici in eo nomine viri doctissimiprehenderunt, quod est mere Latinum? Quaerat a me aliquis, quid secuti Romani fuerint in ea appellatione? Idem quod Galli, quum, qui *Eridanus* erat, *Padum* nuncupaverunt, quae mera est alterius nominis interpretatio. Idem institutum tenuere Graeci, quos pro Barbaris locorum nominibus Graeca innumera per interpretationem facta usurpasse, quantum est veteris geographiae, testatur. At idem quoque & Romanos factitasse in Tuscis nominibus, quorum magnam partem interpretando immutarunt, passim in Tuscorum locorum catalogis, infra ostendetur. Quae quum ita sint, nemo mihi hoc eripiet, quin & BONONIA sit FELSINAE Latinum interpretamentum. Et quidem FELSINAM significasse *bonorum cessionem* (quia Ocnus tum, quum Felsinam condidit, Perusini agri possessione Auleti fratri cesserat) supra ex Arabico sermone docuimus. Ac primores BONONIAE syllabae eam, quam dixi, interpretationem juvant: in posterioribus, propter prisca sermonis ignorantiam, haereo. Si argutari tamen libet; potuit pars vocis altera ex voce Homero perfamiliari (nam antiquiora ac poetica vocabula Vetus Latium facilius usurpavit) *ōvos* derivari, quae significat pretium, quod emptor venditori persolvit. At emptiones apud Homerum permutatione fiebant. Itaque inter Ocnus & Auletem sic convenit, auctore Servio, ut Auleti Ocnus Perusino agro cederet; ipse, opinor, vicissim Bononiensem acciperet. Hinc Ocnus oppido *Felsinae* (i. e. *bonorum cessionis*) nomen imposuit; id quod Romani BONONIAM (i. e. *pretium bonorum quibus cesserat*) interpretando vocarunt. Ut ut est; certe *Bononiae* nomen, alterius interpretamentum esse, plurima, quae infra exponuntur, exempla demonstrabunt. Habes tum principum Etruscae gentis civitatum, *Mantuae*, *Perusiae*, *Felsinae*, primordia; tum quid

quid ea nomina sermone Tusco, h. e. Orientali significaverint: habes postremo de BONONIAE nomine, quando id primum, & qua notione, usurpatum fuerit.

Tametsi FELSINAE significantiam ex Oriente petitam recte, ni fallor, Servii narratione suffulimus; tamen possit aliquis ad Rheni Bononiensis alluviones referre; quae quia cives fortunis spoliatos saepe coegerint *bonis suis cedere*, ac solum vertere, hinc Tusci ab eventu postea urbi FELSINAE nomen fecerint. Equidem priorem nominis rationem, utpote nixam historiae, verisimiliorem arbitror. Ceterum Rhenum olim, quando in Padum influebat, perque hunc in Hadriam deferbatur, parum agro Bononiensi nocuisse crediderim. Nunc quia *αὐτόνομος* ac sui juris, ante hos plus centum annos, effectus, suas sibi habere res seorsum a Pado jussus est; hinc ex mutato alvei cursu lentior factus, atque in vada diffusus, Bononiensium latifundia non tantum pervastat infestissimus, sed eisdem etiam hostis perpetuus ac stationarius incubat; serpetque in dies magis rapacissimus amnium cupiditate insatiabili, donec immensam novalium felicissimorum planitiem, uti se dant initia, in perpetuam unam paludem ac SEPTEMARIA redegerit. Nisi si vero numen aliquod affulserit, quod afflictis nobilissimae civitatis (litterarum & artium gloria omni aevo celeberrimae) rebus opem tulerit, Rheno vel reluctantante ad fluviorum regis Eridani obsequium, uti par est, reducto. Ecce autem per hos dies affulsit longe praesentissimum, postquam Bononia Procerem atque Antistitem sacrorum suum PROSPERVM LAMBERTINVM (nunc BENEDICTVM XIV.) lumen ac delicias orbis terrarum, ad Petri Cathedram evexit nec opinantem, non patriae tantum calamitati, sed & nationibus universis, in primis vero rei litterariae, saluti atque adjumento futurum. Verum de tanti Pontificis mira eruditione, facundia, providentia, deque admiranda, uti se dant initia, gerendi Pontificatus ratione loquentur gentium cunctarum historiae: nam mihi tacere praestat, quam pauca in transitu & loco alieno dicere.

Ac plura quidem de FELSINAE, & BONONIAE etymo

mo dixi; adhuc tamen mihi met ipsi satis non feci, his praefertim de causis. I. Το *φελς* apud Arabas *bonorum cessionem* significare, unus affirmat Schindlerus, praeterea nemo. II. Aegre mihi persuadeo, ut Tyrrhenarum vocum originationes ab Arabum fontibus deducam, quorum quidem sermonem haud magnam cum Tyrrhenico affinitatem habere deprehendi; si vix eas dictiones excipias, quae sunt ab Hebraeo, Chaldaeo, aut Syro. III. Adductum *Felsinae* etymon nescio quid acuminis plus aequo prodere videtur, eoque minus illi acquiescendum, quo affectatam magis prae se fert inquirentis diligentiam. IV. Sed & Latinum *Bononiae* vocabulum quasi per vim sollicitatur, ut Tusco *Felsinae* nomini respondeat. V. *Bononia* denique tamquam hybrida vox, ex Graeco nim. Latinoque compacta traducitur, quod ab veteris Latii ingenio non parum recedit. Quid ergo? Anne statim manum de tabula? ac pro ejus urbis etymo, quae longe celeberrima olim Etruriae, nunc Italiae metropolis, animum despondebimus? Imo vero, nisi si mihi egomet abblandiar, mox ostendam, quae verissima sit ab Hebraeo deducta *Felsinae* originitio, cui Latinum *Bononiae* nomen ad unguem respondeat. Vide igitur Diatrib. VI. in voce *Falisci*, in quo quidem opportuniori loco οὐδ' ἔγωγε fidem me liberaturum polliceor.

D I A T R I B A III.

CATALOGVS ETRVRIAE CIRCVM PADANAE
LOCORVM.

ACERRAE. Vide in Catalogo locorum Campaniae
Diatr. V.

ALTINVM. Vide in Dissert. pag. 80.

BVTRIVM. Vide infra in RAVENNA.

CAESENSA in Antonini Itineraria Tabula vocatur jun-
ctis nominibus CVRVA CAESENSA; quod CVRVAE prae-
nomen novitate sua perculit Cluverium, Cellarium, aliosque
viros doctissimos. Id tamen non est aliud, quam Tusci *Caes-
senae* vocabuli Latina interpretatio: quod supra in *Eridano*,
Fossionibus Philistinis, *Felsina* & *Ocno* notavimus; & in ca-
talogo locorum Etruriae saepius observabitur. Ergo tantum
apud Etruscos *Caesena* erat, quantum apud Latinos *Curva*.
Nam CAESENSA est ab Heb. צרן, quod pro diversis voca-
libus sive *Cbofen*, sive *Chaesfen* pronuntiatur. Atque hoc qui-
dem vocabulum saepe Hieronymus *Ulnam* interpretatur; LXX.
κόλπον *sinum*, ut & alibi Hieronymus: at Kimchi *brachium*
reddidit. Nec diversa est ejus vocis tum Chaldaica, tum &
Arabica significatio. Ad summam ea vox *curvitat*is notio-
nem complectitur, sive quae in *curvitate brachii* seu *ulna* est;
sive quae in *gremio* seu *sinu*; sive postremo quae sub *axilla*
est, quod ultimum Arabice significat. Quaerat heic aliquis,
ecquid curvaturae Tusci nomenclatores in hujus oppidi loco
deprehenderint. Anne ad Sapis fluvii flexus (si modo est
flexuosus) spectarunt? an quia Caesena fort. in terrae *cavi-
tate* seu *curvatura* erat, ex qua tumulus erigebatur, in quo
veteris Caesenatis arcis rudera adhuc conspici ajunt? Confer
Diatribam VII. ubi de *Volaterris*. An postremo quia *curva-
turae* seu *sinui* maris objacebat? Certe Caesena cuidam sinui
maris objacens erat (1). Nec longe a mari distat, quae nunc

Caes-

(1) In Tabula Peutingeriana segm. vulgo dictus Caesenaticus (nomen ex
3. in eo loco, ubi nunc portus est, Caesenae utiq. viciniora ibiditum) ob-

Caesena est: at. olim, credo, vicinior fuit. Haec verior fortassis causa fuerit. Nam videntur Tusci haec inter *isthmum*, & *sinum* vocum discrimina statuisse, ut illum *cubitus*, (unde in vicino fuit *Anconae* nomen, cui credo aliud olim Tuscum vocabulum respondisse, ab orientali sermone deductum, quod *cubitus* significaret), hunc *צמ* *Cbaesen*, h. e. *sinum*, *gremium*, *ulnam* appellarent; sive, ut uno verbo complectar, illum cum exteriori brachii curvatura, hunc cum interiore conferebant. (1) Ex dictis autem, & ex iis, quae de *Volaterris* & *Capua* dicuntur, potest intelligi, Etruscos in *ὀνομαστικῇ* (*imponendis nominibus*) *curvatis* significatione plu-

Q 2

ri-

observatur insignis sinus, mare se in terras insinuante. Ibi credo antiquam fuisse Caesenam (quae a *צמ* *Cbaesen*, i. e. *ulna* nomen invenerat, adeoque a Latinis *curvatus* interpretamento donata) diversam ab ea, quae hodie est. In Anonymo Ravennate sic distinguitur lib. IV. *Cesina*, & *desuper Sesena*. Antoninus quoque *Curvam Caesenam* a *Caesena Civitate* diversam facit. Ergo quae nunc Caesena dicitur, ea est Anonymi *Sesena*, apud quem *τὸ desuper* notat locum *mediterraneum*. Eadem quoque est Antonini *Caesena Civitas* (& in Antonino *τὸ CIVITAS* de maioribus urbibus dicitur; qualis revera Caesena recentior: nam hodieque peramplis aedificiis habitatur) quia haec recentior *Caesena*, temporibus Theodosianis fundata videtur, aut certe magna incrementa acceperat. At altera quae *Curva* per interpretationem dicitur, antiqua Caesena erat finitimi imposita; ejus, credo, vix reliquiae supererant. Confer Anonymum in tom. X. Muratorii in Italiae inferioris aevi descriptione.

(1) Plinii restituatur locus.

Non solum in ora maritima sinus *ulnae*, exuberatio vero *cubiti* nomine donatur, sed in rebus etiam ceteris. Hinc Plinii II. 44. locum restituere posse videor, ubi varios montium fle-

xus & inaequalitates describens ait: *Et conflexa cubito, aut confracta in humeros juga* &c. Sic legitur in optimis editionibus Varior. Harduin &c. etsi Hermolaus (a quo, teste Budaeo in *adnot. prior. in Pand.* haec lectio manavit) posuerat, *conflexa in cubitos*. Verum in MSS. aliter atque aliter is locus habet. Sed in optimis ferme legitur: *Et conflexa subito, aut fracta nivium erosa juga*. Iam prius illud optime mutatum est in *conflexa cubito*, idque iam merito receptum ab omnibus est. Iam vero si in eo, quod sequitur, in *ἀντὶ τοῦ nivium* legatur in *ulnam* (nec scripturae vestigia utriusque lectionis in manu exaratis valde discrepant: quod viris harum rerum expertis notum est) optima existet sententia, in qua *cubiti* prominentiae oppositum *ulnae* cavum, et ex uno brachio utriusque figurae descriptio pulcherrima petitur. Itaque lege in hunc modum: *Et, conflexa cubito aut fracta in ulnam, erosa juga*. Ordo erit: *Et erosa juga conflexa cubito, aut fracta in ulnam*. At Harduinus in interpretatione sua Caelum terrae permiscet, dum *conflexa* interpretatur *sinuata*, alterum vero sese *astollentia*. At *cubitus* non *sinuatur*, sed *prominens aestuat*, (vide Plinium in *Ancona*) *ulna* vero frangitur et sinuatur.

rimum delectatos. Nec valde hinc abhorret, quod de Apen-
nini significatu dicebam.

CAPRASIAE. Vide Diatr. I.

CARBONARIA. Vide ibidem.

CLATERNA (de qua Cluver. pag. 288. 54.) inter Bo-
noniam & Forum Cornelii, est a placentis dicta, ut eam
possis Latine PLACENTIAM appellare. Vide mihi dicta ad
Tabulam II. Iguv. cap. 3. v. 13.

EBRON. Vide Diatr. I.

ERIDANI vox supra initio Dissertationis exposita fuit.

FELSINA. Vide praecedentem Diatribam.

GABELLVM quid significet, obscurum non erit iis,
qui norint olim fluminibus maxime provincias fuisse termi-
natas. Heb. גְּבוּל *gebul terminum* notat: quod nomen Chaldaice
etiam גַּבֵּל *Gabel* scribitur, ipsissimum amnis *Gabelli* nomen,
quo certe una φυλῆ (*tribus*) Tyrrhenica ab altera deter-
minabatur.

MACRI CAMPI. Vide inf. in RAVDIVS CAMPVS.

MANTVA. Vide superiorem Diatribam.

MARIA. DE VII. MARIBVS vide Diatr. I.

MINCIVS est a Chaldaeo מְנִיכָא *Menica*, quod in Da-
niele, & saepe alibi in Targumim significat *torquem*; utique quia
hic amnis, quia cursu lentior, iccirco in varias *torques* sive
flexus convolvitur. De pigro motu Claudianus in VI. consula-
tu Honorii dixit: *Tardusque meatu Mincius*. Alibi: *Amne
quieto Mincius*. At Virgilius lentitudini etiam flexus addi-
dit in III. Georg. *Tardis ingens ubi flexibus errat Mincius*. Su-
perius Chaldaicum vocabulum Syri quoque eodem significatu
usurpant.

MVTINA potest non ab una radice derivari. מוֹת *Mut*
in omnibus Orientis linguis *mori* aut *mortem* significat; ac
non pauca sunt locorum nomina inde deducta, ut *Adramy-
sium*, & alia plura. Aliqua certe clades evenire potuit, quae
nomen *Mutinae* fecerit. Aut vero est a מוֹט *Mot moveri*;
quia ignes subterranei, qui sunt in vicinia plurimi, motus
intestinos creant; in tantum ut ibi aliquando, referente Pli-
nio

nio II. 83. montes duo inter se concurrerint, crepitu maximo
adfulsantes recedentesque; inter eos flamma fumoque in caelum
exeunte interdum. Et hoc etymon verisimilius. Etsi est &
Chald. thema מֶטָן *metan*, quod & *inspicere* significat, & *mo-*
xari, *cunctari*, *humectari*, unde plura nomina formantur: quo
etiam spectat Hebraicum *lumborum* (מֹתַיִם *motnaim*) no-
men. Ex his, uti vides, haud difficile plures possunt origi-
nationes cudi. Sed quo plures, eo fumus incertiores, quam
sequamur. At certe vox ab Oriente est.

NVCERIA in Togata Gallia a Ptolemaeo recensetur. Eadem fuisse Cluverio & Cellario videtur, quae nunc *Lucer-*
na aut *Lucerara* dicitur: itaque tam heic, quam in Apula *Lu-*
ceria Ptolemaei codices fuisse depravatos ajunt; & ex Λ fa-
cto N, utrobique scriptum nunc reperiri Νυκέρια pro Λυκε-
ρία. Verum quid Stephano fiet? etiamne alphabeti ordo in
hujus lexico turbatus fuit, ita ut hoc oppidum ex littera Λ
in N transierit? Stephani locus Cluverio non observatus sic
habet: Νουκέρια πόλις Τυρρηνίας. *Nuceria urbs est Tyrrheniae.*
Tyrrheniae autem nomine hanc Circumpadanam Etruriam
Stephanus variis locis intelligit, quem vide in Τυρρηνία, &
confer, quae supra in adnot. l. pag. 78. dixi. Deinde Ethnogra-
phus ubi loca duo Philisti indicasset, in quibus *Nuceriae* illius
nomen reperitur, addit: Τὸ ὄνομα Νουκέριας. ἑστῆκε καὶ Νου-
κέρια διὰ τὴν Α. *Gensile inde fit NVCRINVS: reperitur &*
NACRIA cum A. Atque hanc Philisti apud Stephanum scri-
pturam verissimam puto, quam & duplex nummus apud Gorium
Tab. CXC VII. num. XII. XIII. comprobatur, in quo Tuscis
litteris sic perscribitur, ut eae litterae valeant NVCRINVM.
Nec tamen id eo dico, quasi nummi illi ad *Nuceriam* Circum-
padanam necessario sint referendi. Imo vero quos Gorio num-
mos V. Cl. Matthaeus Aegyptius miserat, fortasse in Cam-
pania repositos, Campanisque nummis tum characterum for-
ma, tum opificio haud absimiles, ad Campaniae potius Nu-
ceriam pertinere verosimile videtur; cujus verum nomen etiam
NVCRIA olim fuisse, certum habeo: ex quo deinde (nempe
ut ea vox magis ad Latinum *Nucis* vocabulum accederet)

NV-

NVCERIA factum fuit. Exstat & apud Illustrissimum Nicastri Praefulem Achillem Puglia nummus aereus, in cujus antica parte caput juvenile, in postica equus cum inscriptione ΝΟΥΚΡΙΝΩΝ. Nummum hunc vel meo periculo ad Paganorum Nuceriam refer. Ergo triplex **NVCERIA** (corrupte *Nuceria*) fuit; ad Padum una, in Umbria altera (nisi vero haec Umbriae duplex fuit, uti mox dicetur) Campaniae tertia. Nolim tam perscriptae frontis videri, ut etiam ex illa Apuliae *Luceria* (quae etiam in nummis **LOVCERIA** scribitur) quartam Nuceriam conficere coner. Sed tamen cum haec Apula Ptolemaeo (Graecos autem scriptores antiquiora nomina plerumque sectatos deprehendi) Νυκερία Ἀπυλῶν *Nuceria Apulorum*, Appiano vero simpliciter Νυκερία vocetur, quomodo etiam in Tabula Itineraria **NVCERIE APVLE**: non levis est conjectura, & hanc Apulorum urbem olim cognominem tribus aliis fuisse; deinde, ubi eo colonia deducta fuit, aut quovis alio tempore, N in L commutatum; oppidanis praesertim in lucis e-tymo sibi placentibus. Verum de hac Dauniae urbe missum facio.

At triplex certe **NVCERIA** Tyrrhenorum fuit. Quid attinebat tot cognomines urbes condere? **NVCERIA** est ipsissimum Hebraeorum נִכְרִיָּא *Necria*, i. e. *aliena* sive *alienigena*; nisi quod O in V mutatur more Tuscorum, qui O longum in AV, breve in V transmutabant. Ac mihi persuadeo quamcumque regionem Tyrrheni occupassent, post confecta bella, τοῖς ἀλλοφύλοις (*alienigenis*) qui non alio commigrare maluissent, unam aliquam urbem habitandam assignasse; eamque idcirco **NVCRIAM**, i. e. *alienigenarum urbem* nuncupasse. Sic in Chanaanitide plures ἀλλοφύλοις urbes relictas fuerunt. Ac similia exempla ubique occurrunt in vetere historia, quando victores suo jure alios alio commigrare jubebant. In hac Campania Nucerini Atellam, Atellani Calatiam; jubentibus Romanis, traducti fuerunt.

Ac ne cogar iterum in Umbriae & Campaniae catalogis de **NVCRIA** verba facere; addam haec, quae earum pecu-

cu-

cullaria fuerint. Plinius in Umbria sic recenset, **NUCERINI FAVONIENSES, & CAMELANI**. Suntne duo unius Nuceriae cognomina, quod maluit Cluverius, an (quod fort. sit verisimilius) duplex Nuceria erat una *Favonienfis*, *Camelana* altera? Quidquid hujus rei sit; certum est utrumque cognomen, etiam si uti Latine sonat accipias, ab Oriente esse. *Favonius* ventus frustra a *favendo* deducitur; quum sit a *פבוּחַ* *phubab*, quod Hebraice, & Chaldaice est *suaviter perflare*. Hinc ἀναλογικῶς formari potuit *פבוּחַ phabon*, & aspiratione versa in digamma, *Favon* i. e. ventus omnium suavissimus. Ab ead. radice plures aliae (1) Latinae voces veniunt. At alterum cognomen *Camelana* (in Tab. Itineraria ea est Nuceria *Camellaria*) etsi variis modis exponi possit, prout primam litteram sive *Het* facias, sive *Caph*, sive *Koph*; tamen non invenio convenientiorem interpretationem, quam si a *Camelis* dictam putem; quod genus animal eodem vocabulo appellant non modo Latini Graecique, sed & Hebraei, Chaldaei, Syri, Arabes; nisi quod apud hos Afsaricos prima littera sit G. Quum ergo hoc oppidum a *camelis* olim nomen obtinuerit, annon id conditores ex Oriente profector arguit, qui & camelos nossent (quos Italia ignorabat) & cum camelis farginariis in haec loca venissent?

Nec minus ultima Nuceria, quae Campaniae fuit, ab animalibus nomen obtinuit. Ea cognominabatur *Alpharona*, quod est ab Heb. *אלפ* *aloph*, *bos*, quod Chaldaice est *מאן* *alpha*. Bovis autem nomine patet tum *bovem* ipsum, tum *bovum* *Lucana* (i. e. *Elephantum* nam & vox *elephas* ab He-

(1) Dixi *Favonius* non fieri a *Faveo*, sed ab Hebraeo *פבוּחַ phubab*. Nunc age, assentior a *Faveo* esse *Favonium*; sed contendo id *Faveo* propria esse *Perflo*, et esse deducendum a verbi superscripti praeterito *פסוּ* (ex quo spiratione versa in digamma fit *FAV*) sive ab ipso *פבוּחַ phubab*, in quo inest radicale *Vau*. Et certe quod *Faveo* sit *perflo*, declarat id quod ait Servius, nimirum *Favitores* dictos *perflo* alio vocabulo *Aurarios*, scil. ab

אור (*metaforicè* accepta) qua perflabant agitantes circi (de quo vide dicta in Dissert. de *Sindone* et *Sudario*, ubi de *Orario*) nam si *Faveo* *perperflo* est *perflo*, etiam tantumdem erit *Faveo*, propria notione. Ex eo fit *Favonius*, qui unus ex omnibus ventus suaviter spirat. Ab eodem Heb. verbo *פבוּחַ* occurrit nomen *פבוּחַ phiab*, quod reddunt *Favillam*. Et certe *javilla* (i. e. *scintilla*) indidem deducitur.

Hebraico *bovis* vocabulo venit) intelligere. At quid sibi hoc vult, quod duae istae Nuceriae, una a camelis, altera a bobus aut elephantis, cognomen sibi quaesierint? An quia istis ἀλλοφύλοις (*alienigenis*) tamquam servis, ea conditione oppida seorsum habitanda concedebantur, ut camelorum, bovum, &c. armenta curarent? Nam & Gabaonitis scimus ita indultum fuisse Chanaanitidis incolatum, ut tamen ministeria servilia ab iis exigerentur: id quod & Hebraeis in Aegypto accidit.

OLANA. Vide dicta in Diatriba I. §. III.

OTESINI Plinii (quorum oppidum *Otesia* fuerit) si ab Heb. verbo חָטַן *batas* deducantur; ejus participium חֹטֵן *hotes* Prov. XXX. 27. est idem ac *belligerans*: unde *Otesia* erit urbs *Mavortia*: ut omittam quod idem verbum in *Piel* significat *sagittare*, unde *Otesini* erunt sagittarii. At Arabice طَافَا *atafa* est *sitiendi* verbum. Vtrum autem *Otesina* regio *siticulosa* fuerit, cum ignarissimis scio.

PARMA fluvijs est a פָּרַם *param*: quod in Hebraeo & cognatis dialectis Chaldaea, Syra, Arabica, est *scindere* & *secare*. Nam is amnis urbem cognominem secat. Aut vero potius urbs prior id nomen sibi quaesivit ab eo, quia ad utramque amnis ripam aedificata, flumine media scindebatur.

RAVDIVS CAMPVS (in quo Marius Cimbros vicit, auctore Velleio, Floro, & Auctore de viris illustr.) non dubito, quin sit a רֵדָה *reda*, aut רֵדָה *reda*, quod Chaldaice & Syriace est tum *arandi* verbum, tum etiam *fluendi*; & utraque notione plurima nomina derivantur. Itaque is Campus vocabatur RODIVS, & Syriace RAVDIVS, sive quia optimus ad arandum & ferendum erat, sive quod esset fluentis irriguus. At alibi in hac eadem circa Padum regione erant MACRI CAMPI, Varroni & Columellae memorati, quos non puto sic Latine appellatos sive quod *steriles*, sive quod *seci* essent (nam potius Varro eos campos optima habuisse pascua dat intelligere), verum est ab Heb. מָכַר *macar*, *vendit*, & מֵכָר *mecher*, *venditio*, aut *res venalis*; fort. quia ii campi pretio a Tuscis comparati fuerant, aut ab eisdem

ven-

venditi. Est & מכיר *mechir*, commutatio, pretium, aestimatio rei. Et Syriace מחרה *machora* est mensur, sive geometra.

RAVENNAM quidem *Theffalorum* opus putari (Θεσσαλῶν λέγεται κτίσμα) Strabo scripsit: *Theffalorum* autem nomine Pelasgos illos ex Theffalia huc profectos, ac *Spinae* in Padi ostio cognomine conditores, certe intellexit. Qui Pelasgi aut iidem (si quibusdam antiquis credimus) ac Tyrrheni fuerunt, aut paris quidem certe antiquitatis. At quo pacto Amaseno Geographo cum Plinio conveniet; qui III. 15. Ravennam appellat Sabinorum oppidum? Dicerem, nisi alio properarem. Vide tamen inferne (1) adnotata. Ac Raven-

Tom. II.

(1) *Locus Plinii unius litterulae mutatione restituitur. Sapinorum populus in lucem profertur. Zenodoti apud Dionysium locus utrum de iisdem Sabinis sit intelligendus.*

Ravennam Pelasgorum ex Theffalia profectorum opus fuisse, jam intellectum fuit. Quod quum Strabonis aliorumque auctoritate nitatur; quo pacto Plinius Ravennam *Sabinorum oppidum* Lib. III. cap. 15. nuncupavit? Cluverius, ubi de Ravenna, de corrupto Plinii loco conquestus, ubi plura disputavit, tandem eo labitur, ut pro *Sabinorum* apud Plinium reponat *Theffalorum*. At quid, rogo, simile? hocce est scriptores per vestigia corruptae lectionis corrigere? an est Plinium in Strabonem recudere? Verum ne dubita, quin *SAPINORVM OPPIDVM* Noster scripserit. Vnde affers, inquis, istum populum, nunquam antea auditum? In utraque *Sapis* (qui haud procul Ravenna labitur; sed in Tab. Peutling. *Sabis* pro *Sapis*: idem error in Plinio: oppidum hodiernum *Savignano*) ripa tribus *Sapinia* ab Livio XXXI. 2. describitur. At antiquas Romanorum rusticas tribus pleraque ex antiquis Italiae sive populis sive locis nomen sibi quaesivisse, possem, ni-

R

nas

si festinarem, pluribus exemplis docere. Itaque ubi tribus illa fuit, ibi *Sapinorum* populus erat (quos *Sapinos* Vmbris potius, uti mox dicam, quam Tuscis accensuerim) ab his vero *Sapinis* (non *Sabinis*, qui longissime aberant) Ravennam non initio conditam, sed verius habitatam, Plinius dixit. Nec quin Plinio credam (qui Catonis origines, totque alios nostros scriptores legerat) quidquam causae video: maxime quum *Sapinos* istos Plinianos, Vmbrorum genus, possem etiam ex Zenodoto apud Dionysium ostendere: cujus locum mox paulo expendam. Habes de *Sapinorum* ignoto adhuc populo; quibus Ravennae possessio, unde per librariorum scelus dejecti fuerant, censeo, restituitur.

Sapini autem Tuscis an Vmbris attribuendi essent, dubium vibebatur. At certe sexto Urbis Romae saeculo Vmbriae pars erant. Livius XXXI. 2. *Eodem fere tempore* (is erat annus V. C. 552.) *P. Aelius Consul in Gallia per Vmbriam* (quam tribum *Sappiniam* vocant) *agrum Bojorum invadere jussit*. Mox lib. XXXIII. iterum tribus ejus meminit: *Purpureo alter Cos. per tribum Sappiniam in Bojos venit*. Tribus certe *Sappinia* (sive potius *SAPINA*: quomodo in unico lapide apud Fabretum pag. 359. nuna,

nae quidem primi conditores Pelasgi (i. e. sive Tyrrheni ; sive Tyrrhenorum amici & contubernales, & ex eodem profecti terrarum cardine) fuerunt . Ac Ravennae olim situm atque indolem qui apud Strabonem , Procopium , Sidorium

num. 88. bis legitur , ceteroqui nusquam alibi in lapidibus obvia) superiorem Sapis fluminis tractum occupabat ; ubi hodieque ad dextram ejusdem amnis ripam ex adverso Sarfinae oppidum est nomine *Sapinium* , vulgo *Sapigno* , teste Cluverio pag. 623. 43. At ea regio , ubi tribus erat *Sapinia* , proprie quidem in solo Gallico erat , quippe trans Rubiconem ; quia tamen ab Vmbris possidebatur (nam Strabo de Vmbris ait ἀπὸ Παυέων ἀρχαίμενοι , ab Ravenna incipiunt colere) hinc poterat is tractus *Vmbria adjecta* dici , quomodo & *Latium adjectum* erat . Idque , credo , sibi voluit Livius , ubi ait : *Per Vmbriam* (i. e. eam Vmbriam) quam tribum *Sappiniam* (sive potius *Sapinam*) vocant . Non erat proprie Vmbria , sed Vmbriae adjudicabatur tractus circa Sapim , unde ea Gallici soli pars *TRIBVS SAPINA* vocabatur . Ergo , ut ad rem redeam , anno V.C. 552. *Sapini* ad Vmbros pertinebant . Deinde si peculiariter de Sapis Ravennae incolis agimus ; ii quoque Vmbris melius , quam Tuscis accensendi videntur ; quia , Strabone teste , Ravenna diutius sub Vmbrorum , quam Tyrrhenorum , dominatu stetit . Sic ille ubi de Ravenna : ἡ πόλις δὲ (Ravennates) τὰς Τυρρηνῶν ὕβρεις ἐδέξαντο ἐκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινας , οἱ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν οἱ δ' ἀνεχώρησαν ἐπ' οἶκον , quam *Tuscorum* injurias ferre nequirent , *Vmbrorum* quosdam in urbem receperunt , qui etiamnum eam tenebant : at *Tusci* interim domum redierunt . Ergo *Sapini* Ravennae incolae Vmbri generis erant , h. e. ex ea gente , quae antiquior Tuscis in Italia creditur .

Ex huc usque certis argumentis Sapi-

nos Vmbris adjudicavimus . His demum accedat Zenodoti Troezenii auctoritas apud Dionysium II. 84. modo in Zenodoto etiam *Sapinos* pro *Sabinis* intelligas . *Zenodotus Troezenius* (ait ibi Halicarnassensis) is qui *Vmbrorum* conscripsit historiam , narrat eos *indigenas primum in Reatino tractu habitasse* , & inde a Pelasgis expulsos venisse in eam , quam nunc incolunt terram , mutatoque cum sedibus nomine , *Σαβίρος* ἐξ ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι , *Sabinos* pro *Vmbris* appellatos . Ac Dionysius quidem quum ibi hanc Zenodoti auctoritatem intexuerit , ubi de Sabinorum originibus disputat , non dubito , quin *Σαβίρος* scripserit , nec alio modo apud Troezenium legerit . Credo etiam Troezenium *Σαβίρος* in sua historia non *Σαπίρος* scripsisse . Verum ajo , quia *Sapinorum* gens obscurior erat , *Sabinorum* autem longe clarior & notior ; hinc facili lapsu Zenodotum id , quod de *Sapis* sive legerat , sive inaudiverat (nimirum *Sapinos* fuisse Vmbros) ad *Sabinos* transtulisse , ac fortassis etiam , uti nomen , sic priscae auscultationes paululum interpolasse . Verum utut istud se habuit , hoc certe in Zenodoti narratione verissimum est , *Sapinos* (non autem *Sabinos* , quibus cum Vmbris nihil negotii fuit) ex Vmbrorum gente fuisse . Ii , ut supra ex Livio ostendimus , eam Vmbriae partem , quae trans Rubiconem in solo Gallico erat , habitabant , quam liceat *Vmbriam adjectam* dicere : at Livius (quia nec Vmbria recte dici , quippe soli Gallici , nec Gallia , quae ab Vmbris teneretur) sic appellavit , ut diceret *Vmbriam* (illam) quam tribum *Sapiniam* vocant . Ac de his haec .

nium, Iornandem, aliosque (quorum loca in Cluverio cognoscere cuius erit liberum) legerit ; hoc tantum dispar inter Ravennam, qualis olim fuit, & hodiernam Venetiarum faciem reperiet, quod haec urbs marinis tantum, aestuariis patet ; at illa & mari reciprocanti ex una parte, & fluminum affluxui ex alia, vias omnes perfluas habebat ; ut recte inter festiva Sidonii paradoxa de Ravenna hoc legatur, *facilius territorium potuit habere, quam terram* : itaque lembis ac pontibus mutuo inibantur commercia. Quid plura ? estne vero aliquid in *Ravennae* nomine, quod talem urbis faciem, qualem descripsi, innuat ? Imo vox *Ravenna* non aliud Hebraice, & in cognatis dialectis significat, quam quod certe Ravenna fuit. Hebraicum *רַוֶּנָה* *Raveb* significat locum *διάρρυτον*, i.e. *irriguum* ; qua ipsa voce utitur in hujus urbis descriptione Strabo : *Ξυλοπαγῆς ὅλη καὶ διάρρυτος, γεφύραις καὶ πορθμίοις ὀδευομένη, τὸν lignis (in paludem impactis) aedificiis constans, & aquis perflua, dum tantum pontibus ac lembis viae expediuntur*. At in Hebraeo *Rave* dices dumtaxat initium Ravennae reperiri : unde est cetera vocabuli pars ? Verum qui Hebraice sciunt, non ignorant radices Hebraicas, quae in fine litteram quiescentem habent, in suis derivatis saepe adsciscere simplex N (quomodo cum simplici N scripsisse Dionysium, & numero multitudinis, *Ραβνης*, quasi interpretatis *τὰ διάρρυτα*, testatur Stephanus) ut sit nim. *Raven* ; cui Latini terminationem addiderunt. At nostro damno turbat heic Zosimus, cui parum fuit, quod Thessalis (quos certe pro Graecis habuit, qui revera Pelasgi erant) aedificatam dixerit, nisi etiam & Graecum urbis etymon traderet : *Ravenna*, inquit, . . . *Thessalorum colonia* : tum addit : *Ρῆνῃ κληθεῖσα, διὰ τὸ πανταχόθεν ὕδασι περιρρεῖσθαι. R bene dicta, quod undique aquis circumfluat*. Potestne quidquam fingi ineptius ? atqui istud est Graeculorum ingenium. Omnino sic se res habet. Zosimum, aut eos potius, a quibus haec Zosimus hausit, hoc male habebat, quod quam putarent Graecam urbem, eam viderent Graeco carere nomine. Ceterum ex nostrorum hominum fama audierant, *Ravennae* nomine significari loca

aquis perflua. Itaque ubi parumper aestuassent, seque in omnes partes vertissent, tandem acuti homines pulchre excogitarunt, antiquum urbis nomen fuisse Πήνην, aut fort. (1) Πηνην (quod locum irriguum notat) ex eo vero detortum fuisse *Ravennae* vocabulum, Mira origination! Sed tamen commentum istud etymologiam nostram, ceteroqui certissimam, mirifice firmat. Nam quia Graeci homines ab Italis didicissent, *Ravennae* vocabulo τὸ διὰρρύτον notari, ob eam certe causam in eas, quas dixi, angustias se contulere. Ceterum Πήνην *Rbenen* vetus fuisse *Ravennae* nomen, credat Graecus Apella, non ego, aut quivis mecum Iudaica vel leviter degustaverit. Ac tantum abest, ut a Πέω Πήνη, ab hoc rursus *Ravenna* sit, ut potius certum habeam, ipsum Πέω (quippe quod in flectendo, & in derivatis assumit V psilon, ut *ρεῦμα* &c.) esse ab Heb. רוו.

Sed antequam ab *Ravenna* pedem moveo: BVTRIVM Straboni τῆς Ραβεννης πόλιςμα, *Ravennae urbecula*, sive colonia erat, a qua Butrium (-ad oram maritimam situm) sex millibus (si Itinerariis credimus) aberat. Atqui colonia, quemadmodum ferme apud Gellium eam definiri memini, est quoddam urbis metropolis veluti ἀπόσπασμα, est, inquam, pars, quae a metropoli deciditur. Hinc BVTRIVM derivari potuit a verbo בטר *bitter*, quod est *dividere, secare*.

RVBICO a רוב *Rub*, *litigavit*. Hinc RIVI nomen, quia de eo vicini litigant, & ipsi qui litigant RIVALES. Lex vero RIVALICA (apud Festum in SIFVS), quae ad ea litigia sedanda a Ser. Sulpicio rogata fuit. Confer quae scripta nuper de RIVO, & *Rivalibus* ad Gen. XXVI. 20.

SAGIS vide supra in Diatr. I. §. 2.

SAPIS a סף. Vide dicta in *Ravenna de Sapinis*. Est & ספה *Sapha*, *ripa*.

SICIMINA apud Livium XLV. 12. videtur cognomi-

nis

(1) Credo equidem Zosimum indidem hausisse, unde sua hausit Stephanus, qui de hac urbe sic habet: ΠΑΒΕΝΝΑ, πόλις Ἰταλίας. Ἑρμιππος ὁ Βηρύτιος Ρούενναν αὐτὴν καλεῖ. Διονύσιος δ' ἐκαταδίκας Ρωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας,

καὶ πληθυντικῶς, καὶ διὰ τοῦ π, καὶ δι' ἰνὸς ν. *Rabenna urbs Italiae*. *Hermippus Berytius Ruennam eam vocat*. *Dionysius vero lib. XVI. Romanae antiquitatis* & pluraliter, & per eta, & per unum n scribit.

nis locus τῶ *Sichem*, seu *Sichimis* sacri Codicis. Cellar. 665.
nisi ex nummo sit SIKIKINA.

SPINA. Supra Diatrib. I.

Iam vero reliqua Circumpadanae regionis ab Oriente deducta loca, alphabeti ordine adhuc perlustranda superessent *Regium*, *Sarraca* fluvius, *Sinnum*, Plinii *Solonates*, *Tanarus*, *Tanetum*, *Tarus*, *Trebia*, *Vatrenus*, ut & suo loco *Colicaria*, praeter alia adhuc rimanda. Sed & Diatriba sexta (quam quidem inter primas scripsi) plus aequo longior, reliquas contra breviores efflagitare videtur; & Diatribas alias summis saltem labiis delibare festinans animus, quidquid hujus reliquum est, in praesens omittere jubet. Vix unum hoc liceat de celeberrima olim Vrbe *Alrino* addere, quod ipsissimum sit Chaldaeorum אלרין *Alsin*, *abies*: eo enim plantae genere finitimam regionem abundasse opportuniore in loco ostendam.

DIATRIBA IV.

DE VMBRIAE ET PICENI LOCORVM NOMINIBVS
AB ORIENTE DEDVCTIS (1).

§. I.

De Vmbria.

Regio haec supra ceteras abundat locis iis, quorum nomina rebus ipsis consentanea ab Oriente derivantur. Apud Sponium pag. 183. quindecim Vmbriae populi ordine alphabetico recensentur, non (ut auguratur Sponius) ad amoliendam de praelatione querimoniam, sed quia sic fieri mos erat. Plinius sic etiam in Vmbria solens facit. Sed singula heic persequi longe majoris est operis, quam ut per temporis angustias liceat. Nam in plerisque eorum, quae Plinius refert, quis non Hebraeam aut Chaldaeam originem facile deprehenderit? Sic *Ameria* 964. annos ante Persei bellum fundata, si ab **אמר** *amar* deducatur, erit apud Syros atque Arabas *habitatio*: fuit enim hoc Tyrrenis valde familiare, ut **γενικώτερα** locis inderent nomina. Sic & ex iis populis, qui Plinii aetate amplius non exstabant, *Feliginates* sunt (ut cetera omittam) ab **פלג** *phalag*, *dividere*. *Sarranatum* nomen Phoenicium esse ultro in cuiusque oculos incurrit. De *Acerris* vide Campaniae locorum Catalogum Diatrib. V. *Apennates* sui nominis originem inde fortasse acceptam referunt, unde & *Apenninus* (de quo in Dissertatione primaria), quod eum forte montem incolerent. His adde *Solinates*, *Suriates*, *Fallinates*, *Arienates*, *Pisinales*, de quorum orientali **ἐτυμολογία** erit alibi commodior dicendi locus.

Ad eos vero populos quod attinet, qui Plinii tempore adhuc perennabant, de *Pelestinis* dixi in Diatr. I. ac de *Nucerinis* modo in Diatr. III. *Camertes* alibi longius persequemur.

(1) De Quarta hac Diatriba, ut & de Quinta, ac Decima vide Praefationem.

mut. Agē vero *Carfulanorum* nomen nonne est ipsissimum Hebraeum קרסל *Carful*, quod est *calcaneum* sive *pes*? fortasse quod eorum urbs *pedis* formam exhiberet; sicut ab *vestigii* figura loco alteri ἰχθυῶντος nomen inditum scimus. Mitto vero *Arnates*, *Asirimates*, *Attidiates*, *Dolates* cognomento *Salentinos*, *Hispellates*, *Iguinos*, *Metaurum*, *Narnienses*, *Pisaurum*, *Sarsinates*, *Tifernates*, *Trebiates*, *Tuscanos*, *Tudertinos*, aliosque innumeros partim a Plinio memoratos, partim vero ab aliis: quos inter *Ariminum*, in cuius primoribus syllabis *Aram*, h. e. *Sorīae* nomen subidet. *Ocriculum* (quod tamen Straboni, & Antonini Itinerario est *Ocriculi*) a Tusca voce *ocris*, i. e. *tumulus in longum protractus* (non aliud autem schema hodiernum *Ocriculum* refert) venit. *OCRIS* autem est a Chaldaeo אגרא *ogra*, i. e. *tumulo*: de qua voce vid. Diatrib. IX. §. 3. De *Valentia* *Ocriculorum* Dea, vide Diatrib. VIII. §. 2. De *Cale* vero *Vmbriae*, vide Cluverium pag. 617. 44. Hoc *Cale* cognomine fuit alteri Etruscorum oppido *Calibus* in Campania: vide in Cluverio Servium. *Camerinum* (Graecis Καμαρίνον apud Strab. & Ptol.) est ὁμώνυμον *Camarinae*, quae eadem ac *Vr*, in qua ignis colebatur. Eupol. apud Euseb. in IX. Praepar. ait, urbem illam, ex qua Abrahamum exiisse dicit, fuisse binominem: ἐν πόλει, inquit, τῆς βασιλῶνίας Καμαρίνη, ἣν τινας λεγῶν πόλιν Οὐρίνην. Eam Plinius *Vram* appellat, eamque ponit in divertigio, quo Euphrates a recto in meridiem cursu in Orientem convertitur. Ea porro civitas tum *Camarinae*, tum *Vrae* nomen (idem enim significant) a cultu ignis sibi compararunt: nam *Chamanim* seu πυρεῖα, ibi fuisse necesse est.

Restaret denique vetus *Interamnatum* (1) nomen, quod qui-

(1) Ea *Interamna* fuisse creditur, ubi nunc dicitur *Pontecorvo*, ac paullo supra l' *Isoletta*. Fuit & *Interamna Praetutiana*, cuius solum Ptolemaeus meminit, dicendaque est *Interamnia*, Ptolemaeo ἰντεραμνία. *Interamna* autem est *Aran naharaiim*, seu Mesopotamia, quod sit idem, quod *Aram Naharaiim*: hinc dicta fuit *Interamna*

Nahartes (ut *Canonici Regulares*, ut *Benirinau* in sepulchro apud Fabretum): quod vero eadem, quod Mesopotamia; hinc Stephanus in *Α'ρίθμῳ* describit hanc urbem in Oenotris in Mesopotamia; quod falso suspectum est notatoribus Stephani, & Bocharto in *Phaleg*, col. 76.

quidem nec *Naries* erat, ut corrupta quaedam Plinii loca habent, nec *Nartes* ab flumine *Nare*, quo circumflua est *Vmbria*, ut aliis multo quidem rectius placuit; sed **NAHARTES**; quod pluribus lapidibus confirmari posset. Ita Grut. 248. 6. L. F. OV. TYRANNVS. INTERAMN. NAHAR. h. e. domo *Interamna Nabarte*; & pag. 455. 4. PATRONO. MVNICIPI. INTERAMNAT. (*Interamnatis*) NAHARTIS. Atque hinc illud observatu dignum (ut alia mittam), quod sicuti *Campaniae Interamnates* ab *Liri* [h. e. לִירִי *Lir*], *ad rivum*, hinc contractum *Lir*] *Lirineses*; sic et *Vmbriae* ab *Nare Nabartes* dicti sunt. Hinc vero per se quisque intelligit, ipsum flumen **NAHAR** primitus nuncupatum, ex quo **NAHARTES**; deinde in *Nar* contractum, unde *Nartes*. At vero quis in re *Hebraica* adeo hospes est, ut nesciat נָהָר *Nabar*, *flumen*, significare? Vides hinc *Narem* generali *fluvii* nomine dictum, quo pacto *Euphratem* in *Sacris Litteris* saepe *flumen* nuncupatum scimus. Imo vero quovis posito pignore contenderim, qui in *Eugubinis Tabulis* occurrit *populus*, *Latinis* quidem litteris **NAHARCER**, *Etruscis* vero **NAHARCVM**, ad *Vmbriae NAHARTES* omnino referendum. Atque haec de **NAHARTIVM** etymo dixisse sufficiat; in quo quidem paullisper immorari libuit, quod & *Nabartis* & *Capuae* ἐτυμολογία (quae quidem ita Orientem sapit, ut nullus contra hiscendi sit locus) duodevicesimum hunc annum mihi ultro in oculos incurrit, quum primum ad inquirendas *Tyrrhenorum* origines accessi.

§. II.

De Piceno, praesertim de Cumero, quod ejus loci nomen est, ubi nunc Ancona.

Etruscos *Picenum* olim infedisse, praeter *Plinii* auctoritatem, tum ex utraque *Cupra*, *Marisima* & *Montana* (*Cupra* enim *Iunonis Tuscanicum* nomen erat), tum ex *Piceni Hadria* patet, quam quidem ab cognomine altera *Transpada-*

padana ita Tyrrheni dictam voluerunt. Atque ecce tibi in eo tractu *Falarienses* *Transiberinae* *Etruriae* *Falariis* cognomines. Adhaec *Asculum* ab Hebraeo אשכול *Escal*, *hortus*; ubi A pro E ex Chaldaeis est, V vero pro O ex Tyrrhenorum more. Hinc vero Asculi vineas maxime commendabiles fuisse fatendum est. Atque in Phoeniciae etiam ora Vrbs Βόρπος nomine occurrit, quam ab Phoeniciis *Escal* dictam non dubito. Sed & ASCVLVM cognomine est *Ascaloni* uni ex satrapiis Philistinorum: nam Pelestini inter Etruscos fuerunt. Quod si cui in mentem venerit ejus Urbis nomen ab Auctoris nomine derivare, nulla certe per me erit mora. Genesis enim XIV. 15. 24. *Escal* nescio quis occurrit (ubi *sin* punctum habet in dextro cornu) ut pateat proprium nomen etiam apud Orientis filios fuisse. Quid si & ipsum Apuliae *Asculum* Tyrrhenis originem ac nomen acceptum referre dixeris? Non abnuerim certe. At vero nullus esset dicendi finis, si singula Piceni loca, eorumque ab Oriente etymologias percensere in animo esset.

Verum hinc abeunti ultro se mihi dat celeberrima Piceni Vrbs, ab Graecis auctoribus (nempe Syracusanis, quum Dionysii tyrannidi sese furriperent) *Ancona*, h. e. *cubitus* dicta, atque ut de se aliquid dicam, humaniter invitat. At vero, inquis, quid est, quod Etruscorum gregi Graeca hic sese immisceant nomina? Anne Graecum ἀγκών, currente rota, continuo Hebraei oris evaserit? Haudquaquam. Sed nescio quid mihi dicto citius in oculos incurrit, ex quo credam, Urbem illam ita ab Syracusanis nuncupatam, quod & locus, in quo extructa fuit, Tyrrhenico *cubiti* nomine antea diceretur. Est autem, ne te longius distraham, promontorium *Cumerum*, quod quidem cubiti figuram exhibet, & in quo extructa ea Vrbs fuit. Plin. III. *Ab iisdem* (Siculis) *Colonia Ancona apposita promontorio CVMERO, in ipso flectentis se orae cubito*. Ac si Plinii quidem verba sic se haberent: *Cumero, h. e. flectentis se orae cubito*; profecto litem omnem uno illo *hoc est* pro consueta breviloquentia diremisset. Quod non eo dico, quasi qui in Plinianum textum hoc ipsum *hoc*

Tom. II.

S

est

est (sive integrum , sive per compendia *b. e.*) recipiendum censeam (quod ceteroqui ab verisimili non abhorreret : ea enim verba : *flectentis se orae cubito* , sunt veluti ipsius Cumeri interpretamentum) at nisi in textum ipsum irrepere patiamur ; in commentario certe addi posset : Etruscis enim tantumdem erat CVMERVM , quod Graecis Ἀγκών , & Latinis *cubitus* . Est autem *Cumerum* ab Hebraeo , Chaldaeoque גומד *Gomed* , *Cubitus* .

At enim, inquires , *Gomed* , & *Cumer* seu *Camerum* inter se distant , quantum Codrus ab *Inacho* . At nihil frequentius , quam ut G in C mutetur : neque vero in iis tantum vocabulis , quae sunt ab Hebraeo fonte (ut *Camelus* ab *Gamal* , ἀράχνη ab ארנ , *arag* , *texuit* , &c.) sed & in iis , quae ab Graecis aut Latinis vocibus derivantur ; eo vel maxime , quod nullum apud Etruscos elementum occurrat , quod τῷ G respondeat ; quemadmodum & Latinorum antiquissimi ea item littera carebant , pro qua C usurpare consueverunt . Ad haec Hebraeorum O apud Tyrrhenos in V transit ; quippe quos ea vocali caruisse ajunt .

Illud itaque restat , ut videamus , quo pacto D evaserit R . Iam vero sciendum , pervulgatam esse omnium hodieum opinionem , Etruscos olim D caruisse . Id si est , Hebraeorum D cum ea apud Tyrrhenos littera alternasse verisimile est , quae apud omnes ferme Orientis populos , ipsi D similioris est figurae , nimirum R . Mihi vero ea omnino sedet opinio , Tyrrhenos litteram D ab canina quidem distinctam habuisse (de quo quidem opportunior erit dicendi locus in *Diatr. V.*) sed sicut utraque littera apud linguas fere universas , ut & apud Etruscos , vix aut ne vix quidem figura inter se distabant ; sic & apud Tyrrhenos (qui D & caninum elementum , balbutientium in morem puerorum proferbant) eandem prope fuisse D & R pronuntiationem ajo . Hinc tamen promontorium illud , in quo extructa deinde fuit Ancona , *Cumed* scriberetur ; in audientium tamen auribus postremum illud elementum ferme ut R sonabat , ac tamquam *Cumer* pronuntiatum arbitrabantur ; unde Latino-

rum

rum *Cumerum*. Sic Chald. *ܕܢܝܢ* *Vden*, & *ܕܢܝܢ* *Vdna*, i. e. *auris* (a quo resoluta prius vocali V in AV more Syro, & Etrusco, venit verbum *Audio*) transit apud Latinos in AV-RIS, quia scilicet Tuscorum Delta blaesum ferme, ut canina littera exaudiebatur: sic etiam *קדמ* *Kodam* Dan. V. 17. & alibi, transit apud Latinos in CORAM: de cuius praepositionis etymologia misere ineptiunt etymologi. *βαδῖς*, quod Hesychio est *ὄϊός*, *filius*, est a Chald. *ܕܢܝܢ* *bar*, canina in D mutata. Eadem fortasse de causa in Latinis etiam vocabulis D saepe in R mutatur, ut in *Arcesso*, *Arvorsum*, *Carium* ab *καῖδιον*, obliquum *leporis* ab *λείπους*, *λείπodos*, *meridies* pro *Medidies*. Sed & a blaesa D pronuntiatione est, quod saepe etiam cum L alternet. Sic ex Syro *ܕܘܥܐ* *Duco* (idest *locus*) orta est Latina vox LOCVS, mutata D in L. Habes igitur, cur Hebraeum *Gamed* sit Latinum *Cumerum*.

Iam vero locus hic mihi in mentem revocat, quod supra in *Caesena* Diatr. III. divinando conjeceram, sinum maris ab Etruscis ex Hebraeorum more *ܕܢܝܢ* *chpsen* dictum, h. e. interiorum brachii cavitatem; isthmum vero, quod instar cubiti est, eo vocabulo expressum, quod externae brachii curvaturae, Graecoque *Ἀγκύων* responderet. Atqui id tamquam augur tunc divinabam; adhuc enim latebat Plinianum *Cumerum*. Sua nunc ergo stat augurio fides.

Sed & multo maiora restant; ac primum *Gammadei* Ezechielis XXVII. 11. a quibus lucem hauriemus, sunt vicissim illustrandi. Ibi enim de Tyro deleta, deque ejus arcium praefidiis sic habet vulgatus interpres: *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: sed et Pygmaei, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum*. Sed pro *Pygmaei*, ut vertit Aquila, Hebraeus textus habet *גמדים* *Gammadim*; quae quidem vox multas ciet turbas. Ac ne singulis interpretationibus lectores fatigem, quas refert Fullerus VI. Miscell. 3. ego quidem in *Waseri* sententiam descendo *De mensur.* l. 6. cui inhaerent *Fullerus*, & *Grotius*. Ex quo enim *Theodotion* Hebraeum *Gammadim* non vertit; sed, quasi proprium nomen esset, ipsissimum

num in suam versionem inseruit, eo sub vocabulo *Gammadaeorum* populum subsidere existimant laudati scriptores, *Gammades* scilicet incolas in Phoenicia, quam terra devoravit, ut ait Plinius II. 91. quamquam *Gamalen* hodieum Plinius habeat: in Graecorum enim codicibus Δ, & Λ facile alternabant, ut observat Fullerus. Quod si quaeras, cur ea urbs (quae vix unis innititur satis dubiis Ezechielis, & Plinii locis) *Gammades* diceretur; eam reddunt rationem Walserus, & Grotius, quod *cubiti* instar, qui Graecis est ἀγών, Hebraeis גומד, *gomed*, in mare procurreret; qua de re in meis ad Ezechielem observatis redibit sermo: eique interim opinioni ab nostro *Cumerum* maximum certe pondus accedet. At si tantis viris nihil aequè proclivius visum est, quam ut Δ in Λ transiret; multo certe facilius est D in R mutari, quae quidem litterae & figura, & pronuntiatione apud Orientis populos erant plane gemellae.

Denique quod in *Cumero* factum est, ut D evaderet R, ipsissimum in *Gomara* Assyriae urbe prope celebrem *Arbelam* evenisse, vero simillimum videtur; quam ita forte dixerunt, quod in aliqua fluviorum, qui circumfluunt, *Lyci*, aut *Cappri*, curvatura, cubiti instar, posita esset: sicut celeberrimae sunt apud Herodotum, aliosque huiusmodi ἀγώνος, sive *cubiti* nomine in Nilo cavitates. Denique & in Indiae ora cis Gangem *Comariu* fuit, tum promontorii (forte ab *cubiti* figura), tum & urbis in eo exstructae denominatio: quo in loco hodieum, ut & in Erythraei maris Periplo, hoc nomen adhuc perennat.

DIATRIBA V.

CATALOGVS ETRVSCORVM CAMPANIAE LOCORVM, QVORVM NOMINA EX ASIATICIS LINGVIS DERIVANTVR.

§. I.

De Acerris, ac Teano.

Singula Campaniae locorum Etrusca nomina heic illustrare non est animus; ne ultra eos, quos mihi definiui, brevitatis cancellos, patriarum antiquitatum studium me abriperere videatur. De *Nuceria Alpbaterna* dixi Diatriba III. Tres itaque tantum urbes *Capuam*, *Teanum*, *Acerras* percurram; earumque non tam etymo, quam nummis, quos penes me habeo, enucleandis immorabor.

Atque a postrema ut exordiar, ad *Acerras* referenda existimo bina ea numismata, quae habes in Tab. I. num. 1. & 2. nam quae in utrisque visuntur Etrusca elementa, Latinis litteris reddita valent AKERV. Tametsi autem una eademque sit utriusque nummi epigraphe; inter se tamen & metalli qualitate tantisper differunt, & primo illo elemento, quod nostro A responder; quod quidem in minoris moduli numismate (num. 2.) quadratum visitur (ut in Campanis etiam, ac Teanensibus nummis insculptum occurrit) in altero vero longiusculum est, & arcuatum; denique & opificio distant: minoris enim moduli numisma valde nitidius est, & ad Campanam nummorum structuram ferme accedit; majus vero multo est inelegantius. Itaque sicut illud ad Campaniae *Acerras* refero; ita postremum hoc cognomini alteri urbi potius tribuendum opinor; vel si tandem utraque ad Campanas *Acerras* spectare dicas; profecto ab temporis, quo

con-

conflati fuerunt, diversitate, opificii etiam varietas est repetenda.

Enimvero tres, quod sciam, cognomines *Acerrae* occurrunt; quarum prima Campaniae eo etiam nunc nomine dicta; altera in Umbria (Plinius enim iis urbibus, quae sua aetate amplius non perennabant, *Acerras* accenseret, quae *Vasfriae* cognominabantur); tertia denique prope Cremonam. Atqui nullus dubito eas omnes Tyrrhenorum opus fuisse; qui quidem & ea loca omnia infederunt; & in more positum habebant, ut novis, quae aedificabant, locis, mutuata ab celebrioribus suis aliarum regionum urbibus nomina imponerent. Sed & mihi facile persuadeo, circumpadanas *Acerras* ceteris antiquiores fuisse: eam enim regionem primitus occuparunt Etrusci, antequam Umbriam, aut Campaniam incolerent. Sane Strabo Campanis *Acerris* illud ipsum impositum nomen ait, quod alteri apud Cremonam. Nam lib. V. Α'ΧΕΡΩΝ, inquit, ὁμωνύμου κατοικίας τῆς περὶ Κρέμωνα. Hinc etiam intelligis, Strabonem unico R eam urbem scribere; ut & saepius Polybius, ac Zonaras, non secus ac *Acerani* in Plinii MSS. immo & Tyrrhenicae urbis numismata eandem prae se ostendunt scribendi rationem; licet poëtis, nonnullisque aliis scriptoribus caninam litteram duplicasse placuerit. Sed ut e diverticulo in viam; nihil magis vero simile videtur, quam ut maioris moduli nummus (num. 1.) ad circumpadanas; minoris vero ad Campanas *Acerras* sit referendus; ex quibus quidem nummis hic meus est; ille vero ex Museo eruditissimi viri Matthaei Aegyptii, quem augustissimus Rex noster, acerrimus ingeniorum aestimator, Parmensi suae Bibliothecae plaudentibus omnibus nuperrime praefecit.

Jam vero unde *Acerrarum* nomen derivabimus? Forte ab אכר *acar*; inde enim apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros, & Arabas fiunt vocabula, quae agricultorem valent: quippe utrarumque *Acerrarum* planities (nam Umbriae *Acerrae* quo in loco positae fuerint, adhuc ignoramus) agriculturae veluti natas constat. Aut certe ab Chaldaeo אכרא *acra* (quod etiam cum ʿ (ain) in prima scribitur) deduci potest; quod est

est plurimum apud Talmudicos locorum proprium nomen . Enimvero *acra* ex Glossa est *fluminis transitus* : atqui utraeque *Acerrae* ad flumina extructae erant ; Accedit , quod Campanas *Acerras* continuae obruerint aquarum inundationes . Servius ad illud Virgilii Georg. II. *Vacuis Clanius non aequus Acerris* , ita adnotat. *Cujus (Clanii) frequens inundatio eam exhaurit ; unde ait vacuis , id est infrequentibus* . Vibius etiam Sequester ait , quod Clanius , ad quem ponit *Acerras* , *quum creverit , medietur pestem terrae* . Id ipsum de alteris *Acerris* dicas , quae hodiedum *Gberra* nuncupantur , quippe quas Cluverius septimo ab Pado lapide , ac prope castrum *Pizigbitone* , ad *Addae* , Seriique confluentes ponit . Jam vero ea subsidentia , seu crassamen , quod ab inundationibus remanet , apud Chaldaeos עכירות *acirur* , sive *acerus* dicitur ; scilicet ab verbo עכר *acar* , quod apud Hebraeos , & Chaldaeos est *turbare* , seu *turbidum esse* (quod nimirum exundantium fluminum proprium est) . Adde quod apud Arabas praeterea significat *subsistere* , seu *deponere* . Atque hoc verissimum mihi videtur *Acerrarum* etymon .

TEANUM vero (~~quae~~ Strabonis aetate princeps erat post Capuam Campaniae urbs) ab pluribus Hebraeorum radicibus , quin ulla eis inferatur vis , deduci commode potest . Etenim hebraica *gregis* , *ficus* , *molae* , aliarumque rerum vocabula ei loco nomen commodare potuerunt . Mihi vero aliud se ultro prodit magis ad rem ejus urbis etymon , de quo opportunior in loco differam , ut de veteri *Sidicini* cognomine , quo ab Apuliae *Teano* discriminabatur . At ne de Etrusca *Teani* origine ullus sit dubitandi locus , ecce tibi Tab. I. n. 3. nitidissimum numisma , quod ne Campanis quidem nummis ab elegantia cedit , in quo Etruscis litteris scribitur TAA-NV . Atque in extrema nummi ora aliud fortasse elementum ultimam epigraphes litteram pone sequebatur ; quod nunc prorsus detritum est , & vix locus superest ; in quo ea littera esse poterat . Atque hunc detritum nummum a Canonico Petrangelo habueram . Nuper exeunte anno 1741. Thomas Chryfolia vir litterarum amantissimus dono mihi dedit

pa-

parem Teanensium nummum, atque integriorem; qui hoc tantum ab eo, qui heic exhibetur, differt, quod inscriptio VNNNT e regione capitis Apollinis sculpta visitur; in cuius capitis postica parte fulmen insculpitur. In averſa nummi parte Victoria, quae supra minotaurum supervolat, ramum unum manu praefert, altera fortasse coronam, de more scilicet.

§. II.

De Capua; ejus nomine, ac nummis.

DE Capua mea patria pauca quidem subjiciam, tum ne plus aequo longus videar; tum vero maxime ut doctioribus viris, in tertio hoc Cortonensium Diatribarum volumine diserturis lampadem tradam. Verum Campanas antiquitates, quarum non mediocrem farraginem jam in forulis habeo, in unum corpus, si Deus annuet, complecti est animus: eique operi numismata seposueram, quae duodeviginti abhic annis de ea urbe corraſi, quae quidem jam undecima numero evaserunt; eaq. habes Tab. I. & II. ab numero 4. ad 14. Sed pro mea erga nobilissimos Etruscae Academiae socios observantia publici heic juris ante tempus facere statui. Ac singula quidem ex meo Museo sunt, si unum excipias num. 6. quod est eruditissimi viri Matthaei Aegyptii. Sed & nuper amicus meus summus, ac rei numismatice studiosissimus Petrus Antonius Vitale ternos ex eis nummos mihi dono dedit, nimirum numero 4. (eum ceteroquin multo antea minoris licet moduli habebam) 5. & 11. Eorum vero omnium primus, qui meas in manus inciderat, visitur numero 10. jam inde enim ab anno 1723. humaniter mihi largitus est bonae memoriae primicerius Roccus Santillus, quo valde familiariter utebar; eodemque ferme tempore eruditissimus Franciscus Zarillus Domo Capotrifio, tophum eo ipso effossum, atque Etruscis litteris inscriptum mihi dono dedit. quem vide Tab. II. Et

Et primum quidem de iis nummis, ac topi characteribus mihi sententia non constitit: nam illud scriptiois genus Osci peculii esse inde mihi facile persuadebam, quod nonnullas ibi litteras videre videbar, quas V. Cl. Antonius Augustinus in nummis Oscas reputavit. Verum ubi Etruscorum Elementorum formam ex Grutero, ac Fabretto compertam habui, nullus mihi relictus est dubitandi locus, quin & topus (cujus in Addendis ad Mutilum Camp. Amphith. Titulum pag. 172. secundi versus initium, tamquam ex Etrusco penu depromptum retuli.) & nummi, Tyrrhenicas scriptiones haberent; vel, si mavis, Oscas; quatenus Oskorum scribendi genus ab Etrusco parum defleat. Quod si topi scriptio ad veteres Campanos, in quorum agro effossus est, spectabat; id ipsum indicio mihi fuit & nummos ad Capuam referri oportere; eo vel maxime, quod ipsissima nummorum epigraphe, atque adeo integrior in alterius topi lineae extremo visibatur. Ac tum denique mirari desii, ecurr celeberrimae omnium Campanae Reipublicae, nulla, aut valde pauca superessent numismata. (Goltziana enim cum epigraphe KΑΠΙΤΑΝΩΝ jure mihi suspecta erant: quisquis enim nummorum Goltzianorum auctor fuit, putavit Campanos Graece scripsisse, quia a Capy Trojano, fretus auctoritate Suetonii de aenea tabella.) mirari, inquam, desii, ex quo primum intellexi, non exiguum occurrere eorum numerum, quae Etruscis litteris erant conscripta. Sed quid adhuc monentem requirimus, ut undecumque eos nummos Capuae tribuamus, quum doctissimus vir Hannibal de Abbatibus Oliverius Pisarenensis (Dissert. Corton. tom. 2. pag. 71.) parem nummum produxerit, Campanisque dubio procul addiderit?

Verum antequam quidquam de Capuae nomine, ut in nummis cuditur, statuam; praestabit ipsas topi litteras propius intueri; qui quidem tamen integer fuerat erutus, dolendum tamen fuit, quatuor ejus litteras porro deperditas in re enim adeo friabili (cujusmodi & noster hic, & univere Campanus hodie topus est) nihil aequae facile; quam ut anguli extenterentur. Atque ut ea mittam, quae de ceteris litteris a-

libi dixi (nam & aliis in locis occurrunt) distinguendas hic censeo ꝓ ab V, Q ab R, quas nonnulli minime secernunt .

Atque ut a postrema litterarum biga exordiar , vulgo persuasum habent , Tyrrhenos eo elemento caruisse , quod Latino D respondeat ; ac Tyrrhenicum Q ipsissimum esse latinorum R . Atqui eos falsitatis arguit tophus hic , in quo R, ac D plane distinguuntur ; ac sicuti primum illud tantumdem valet , ac latinorum canina littera ; sic & postremum hoc nulli certe propius , quam Latino D respondere poterit . Tametsi enim elementum illud R perrato quidem occurrat ; & satis id est , ut liquido constet , Etruscos ea littera , ab D quidem distincta , minime caruisse .

Sed ut rem alius repetamus , vide , quaeso , quae supra Diatriba IV. dixi de CVMERVM, unde iis , quae sum dicturus , maximum certe pondus accedet . Sciendum itaque D, & R apud Hebraeos , Chaldaeos , Syros , & Samaritanos ita prorsus figura esse simillimas , ut vix parvulo dextrorsum apice distinguantur . Sed & earum pronuntiatio est plane gemella , si D blaeso pronunties (vide de littera D Arabicum alphabetum) ; nam de canino elemento , nullus dubito , quin blaeso semper ore , puerorum instar , protulerint : atque ab ea est causa , cur apud eosdem nusquam R sub eadem vocali duplicatum invenias , ut in τῷ ARRIVS . Jam vero apud Etruscos ipsissima quoque fuit utriusque elementi & forma , & pronuntiatio . Ac D quidem latinorum instar scribebatur , nisi quod & Orientalium more inversa erat , ut Q , cujus quidem hastam si paullisper deorsum protrahas , habes jam R , Graecorum Rbo simillimum ; quae certe multo frequentior est caninae Etruscorum litterae figura ; contra vero valde infrequens latini R forma . Pronuntiationem vero si spectes , ubi D durius exprimere vellent , modo T usurpasse opinor (sic *Tuder* (*Todi*) in Etruscorum numismatis scribitur TVTER), modo vero ipsum Q . Sed & postremo hoc elemento pro D blaeso etiam utebantur . Ex quo vero utraque haec littera apud blaesos sono quidem convenit (nam & hodieum videmus R , a pueris ac balbutientibus tantumdem pronuntiari ,

ut

ut blaesum D), hinc factum est , ut quae pronuntiatione confundeantur litterae , eadem & figura confunderentur ; eodem prorsus pacto , quo B , & V consonum saepissime apud latinorum scripturas alternasse scimus .

Hinc vero est , quod pro canino elemento , litteram D saepissime usurpatam inveniamus , ut in Etrusco MENERVALE nomine , in quo D pro R occurrit . Nam & hodie dum nostrates blaeso ore loquentes ea in voce ipsissimum D pronuntiant , usque adeo , ut nisi quis ejus nominis litteras aliunde noverit , anceps haereat , *Minedvam* ne , an *Minervam* protulerint . Et ne ab eo vocabulo discedam , posset quispiam adfirmare , quod quae ab Jovis cerebro nata dicitur Dea , eam *Menedvam* primitus scripserint Etrusci : Romani vero blaesum D , quasi R interpretantes (quippe & R tanquam D proferebatur) latine per errorem verterint *Minerva* ; ut & in voce *Cumerum* supra evenisse ostendimus . Sed misso *Menedvae* exemplo , nostro etiam in topico voces TRIS & SACRA ipsum Q prae se ferunt , ut & cetera ubique veterum monumenta . Quod si alibi Tyrrhenos Rhotacismi accusatos diximus , id in speciem tantum esse fatendum est , quod illorum D , ut vulgo hodie pro certo habent , ipsi R aequivaleat ; nec video cur non Deltacismo potius laborasse dicamus , tum quod D semper inversum occurrit , tum vero , quod & ipsum R , quasi blaesum D proferebant . Sed e diverticulo in viam .

Utraque igitur isthaec littera figura quidem ac sono prorsus conveniebant ; ut is unus , qui loquebatur (modo vocum origines calleret) scire posset , utra in vocibus esset D , an R . Nam & in *Cumed* prioris litterae vices gerebat ; quod est ab Hebraeo גומד *gomed* (vide Diatrib. IV. §. 2. in *CVMERVM*) , contra vero R erat in *REA* , quippe deducta ab ארעא *Area* , terra (vide Diatrib. VII. §. 1. in qua de *Oenarea*) ; una enim erat in utroque vocabulo ejus litterae pronuntiatione , atque ita quidem , ut ab primo (*CVMED*) latini *Cumerum* effecerint ; de altero vero (*REA*) Graeci (apud Hesychium in *Δεα*) existimarint , Tyrrhenos pro *Rhea* , *Dea* extulisse . Atque haec de litteris D , & R dixisse sufficiat .

Sunt & binae aliae pronuntiatione quidem simillimae B, & consonans V; quo fit, ut in vetustis monumentis saepissime alternent. Jam vero Etrusci tres litteras inter se distinctas habebant, V scilicet vocalem (quam quidem latino V forma simillimam habes in tertii topi versus antepenultima, ut & in Populoniae nummis, quos offeram Diatriba VII.) adhaec B tum pronuntiatione, tum figura nostrae gemellam (eam vide in voce EMBRATVR in Papii Mutili numismate apud eruditissimum Hannibalem de Oliveriis, & in Dempsteri Tab. XCH., atque alibi); ac tertium denique elementum, quod ipsissimum erat Chaldaeorum, Hebraeorumque *Bet* (vide in topi secundi versus penultimam, atque in Campaniae nummis ultimam); licet postrema haec varias etiam acciperet formas, prout perpendicularis hasta superne inferne produceretur, ut saepe F ad sinistram inversae similis evaderet. Sed ultimum hoc elementum, quamvis unum semper (quippe ab Hebraeo, Chaldeoque *Bet* deductum) usu tamen varium erat, ut aliquando τω B accederet, aliquando V consonanti, nonnunquam digammati, sive latino F, numquam vocali V, nisi forte per abusum. In Campanis itaque nummis cave legas CAPV, sed postrema littera B molliter est proferenda, cui si A in fine addas (quae quidem in Capuae nomine in alterius topi versus extremo expressa occurrit) habes jam *Capba*, sive dissyllabum *Capua*. Atque haec quidem de litteris.

Epigraphae vero lectu quidem admodum facilis, Oedypo eget interprete. Primus itaque versus erit. EKA: TRIS III. Alter vero: MER CAPBA (sive dissyllabum *Capua*) Tertius: SAKRA . . . VSE. Quartus F. . . A (fortasse EKA, ut in primo versu) . . . MUA. Quintus: N. . . SSIMAS. Quod si epigraphes sententiam a me requiras, Campani Kalendarii frustum videtur. Ponas enim primam vocem significare DIE, sive praepositionem aliquam, aut particulam: ita verti posset. DIE (sive mavis IN, aut AD) TERTIA (quod numeralibus etiam notis subjungitur III.) MERKE-DONII (veteris hic erat Kalendarii mensis intercalaris, qui Fe-

Februario inferebatur) CAPVAE SACRA. Reliquam tophi laciniam latine reddere audacissimi esset hominis , quum non paucae hinc & hinc desint litterae . Sed verba singula propius inspiciamus .

Atque ad vocem TRIS quod attinet, fieri quidem posset, ut eam ab Latinis Etrusci, aut utrique ab Graecis fuerint mutuati. Verum cum innumera ferme sint ab Hebraeis fontibus heic deducta locorum nomina, multo certe facilius erit, eam dictionem ab Hebraeorum שלש *Selos* derivare, ut primus quidem sibilus ex Chaldaea, ac Phoenicia dialecto T evaserit, L vero ab Tyrrhenis, Graecisque in R fuerit versa; cujus quidem mutationis sexcenta possem, si id agerem, exempla afferre. Hinc multo erit proclivius, latinos ab vicinis Etruscis, quam ab remotis Graecis vocem TRES deduxisse.

Quod vero sequitur MER, primam *Merchedonii* syllabam esse opinor; nihil enim vero similis, quam ut mensium nomina primis syllabis per compendia scripserint, nam & in ceteris mensibus, & in ipso *Merchedonio* tantumdem apud Latinos obtinuit, ut illud in vetustis Kalendariis per primores litteras MERK designarint. Ac de eo quidem mense dixisse memini in Commentario ad Mutilus Campani Amphith. titulum pag. 150. atque in *Addendis*; ibique eam vocem Tyrrhenici peculii esse conjeceram, quippe quam hoc in ipso topho offenderam. Sed ex qua tandem Orientis radice *Merchedonium* derivabimus? Ut eorum somnia mittam, qui a mercede solvenda deducunt; opinor, ab Hebraeo מרחק *marach*, quod quidem tantumdem valet, ac Latinis *Febrnare*, idest *purgare*. Sic apud Esther II. 12. *Dies מרקים meruchim*, est *Februorum* sive *purificationis*, quam ajunt, *dies*. Ibid. II. 9. 12. est & aliud ab eadem radice, ejusdemque significanziae vocabulum. Apud Chaldaeos etiam, Syrosque hoc verbum ejusque derivata idem significant. Habes igitur, cur *Merchedonii* nomine donaretur mensis ille intercalaris (qui quidem nunc 22. nunc 23. diebus constabat) qui binis quibusque annis tertium, ac quartum supra vigesimum Februarii diem in-

intercedebat. Ut enim *Februarium* a *febris*, sive *purificando*; sic & *Merkedonium*, qui *Februario* inferebatur, ab Heb. *Marak*, quod est *Februare* deduxerunt. Quid quod & in vetusto quodam Calendario Quintilius etiam, September, ac November τὸ MERK exhibet? utut alii de eo negotio somniaverint; nullus dubito, quin hoc litterarum compendio *purificationis dies* iis in mensibus notarentur: sed de ea re fusius alibi.

De Capuae vero nomine, quod integrum in topho scribitur, mox dicam, quum de Campanis nummis erit sermo.

Sed ecce tibi SACRA. Jam vero τὸ *Sacrum* & *Sacer*, ut & cetera religionem spectantia, Tyrrhenicae originationis esse pro certo habeo. Et sane Scaliger (Exercit. 107, & 325. Sect. 13.) tametsi de nostro topho ne fando quidem audiverat, jam tum tamen vocem *Sacer* ab Etruscis derivari posse existimavit. Quod si ejus ἑτυμον a me quaeras (nam quod Vossius ab ἅγιος deducat, merae nugae sunt) est ab Hebraeo זכר *secer*, *memoria*, *commemoratio*. Veteris enim novique foederis sacrificia in sacris litteris fieri dicuntur לזכרון *Leficaron*, in *memoriam*, nimirum, ut nobis in *memoriam* revocent tum accepta a Deo beneficia, tum Divinae potentiae pro hominibus miracula. Singuli denique Religionis actus *memoriae* dicuntur, quod ea, quae sensibus subjiciuntur, Deum meminisse nos jubeant. At vero Hebraico זכר *Secer* si Chaldaeorum ἐμφάσις addas (quae quidem Phoeniciis, Thyrrhenisque fuit valde familiaris) erit זכרא *Sacra*, h. e. *memoria*, seu *sacrificium*, aut quidquid denique sacrum, & religiosum est. Atque aliae quidem afferri possent ejus vocis ab Oriente deductae originationes, nulla tamen, nisi mea me fallat opinio, vero similior erit. Cetera tophi verba divina-ri vix poterunt: singulis enim aliqua deest littera.

Ad nummorum vero epigraphem quod spectat, uno ea deficit elemento, qui quidem mos est numismatum scriptio-nes per compendia signandi. Sic pro HATRIA Etrusci in nummis scribebant HAT, & pro LVNA LVN, sive LV, de quo vide Diatribam VI. in voce LVNA. Ceterum Ca-
puae

puae nomen dissyllabum erat, sive penultimam quasi B, sive quasi V consonum proferrent: utraque enim pronuntiatio, diversis licet temporibus, in honore fuit. Ac primitus quidem Tuscanicis, Latinisque erat *Kapba*; mitescendo dein B, tamquam si V consonans foret, evasit dissyllabum *Capua*. Tandem jam inde a Varronis aetate, oblitterata jam *Capbae* pronuntiatione, apud omnes *Capua* audiebat, quod ne, nullo monente, me adfirmasse credas, ecce tibi Varronis ipsius auctoritatem lib. IX. de L. L. (in fine pag. 128. edition. Amstaeled. anni 1623.), qui *voluntariam* ab *naturali* nominum κλίσι (*declinatione*) distinguens, *Voluntaria*, inquit, *declinatio refertur ad consuetudinem; naturalis ad rationem*. Sed addit: *Proinde ac simile conferri non oportet, ac dicere, ut sit a Roma Romanus, sic eni Capua dici oportere Capuanus, quod in consuetudinem vehementer nutat*. Capuae enim ἑθνικὸν erat *Campanus* ex usu arbitrioque. Jam hinc vides eo tempore eam urbem *Capuam* dictam; nam si *Capba* nuncuparetur, profecto facile intellectu fuisset, cur incolae *Campani* dicerentur. *Capba* enim pronuntiatione tantumdem est, ac *Campa*; & vetustiores quidem Latini, quia Etruscum *Capba* audientes ipsum *Campa* audire videbantur, ita quoque scribebant; ex quo prono velut alveo fluxit *Campanus*. At vero M. Varronis aetate cum in primitivo *Capuae* nomine B in V mitior evasisset, adhuc tamen priscum remansit derivativum *Campanus*. Quod autem Latini veteres *Campa* dicerent, id ex alio derivato aperte deducitur *Campas*, *Campatis* apud Plaut. *Trinum.* II. 4. 144. ut enim ab *Ravenna* est *Ravennas*, sic & *Campas* aliunde non potuit, nisi a *Campa* deduci. Id mirum in modum Eustathius in Dionysium confirmat, qui ait οἱ Καμπανοὶ . . . ἀπὸ Κάμπου πόλεως, h. e. *Campani* ab urbe *Campus*. Ac Grammaticum quidem sola transversum egit terminatio (*Campa* enim erat, non *Campus*); sed illi id fraudi fuit, quod *Campae* nomen cum fictis Livii, aliorumque fabulis miscuerit, quibus visum est eam urbem ab *camporum* aequoribus derivare. Atqui ipse hic error nos eo magis certiores facit, verum ejus nomen fuisse *Campa*: *Campa* enim,

enim, non *Capua* cum ea originatione convenit, ut sit ab *Campis* dicta. Ex quo quidem, ut ex aliis quam plurimis, quae alibi expendimus, intelligimus, veterem ejus metropolis pronuntiationem fuisse *Capba*, quod Latinis quasi *Campa* sonabat, eoque modo scribebant. Sequiori dein aevo B paululum mitescendo, factum est *Capua*, tribus interim derivatis ab veteri pronuntiatione non abeuntibus, nimirum *Campas*, *Campanus*, *Campania*; quod quidem merito Varroni crucem fixit. Atque ecce tibi, eccur topi epigraphe in qua integrum legitur urbis nomen, cum ejusdem urbis derivatis consentiat, cum nomine, quod nobis Eustathius innuit, cum communi denique licet falsa ejus urbis originatione a *campis*.

Age nunc tandem a falso ad verum celeberrimae ejus urbis etymon descendamus, de quo quidem pauca in praesenti dicam, reliqua opportuniore in loco dicturus. Enimvero quidquid de *Capuae* origine opinemur (de qua quidem alii alia retulerunt) huc tamen redeunt narrationes omnes, ut *curvitas* notionem ea in voceprehendamus. Sive enim *Capys* nescio quis (Trojanusne, an Etruscus? haud moror) eam fundaverit, sive viso *falconis* augurio qui Tusca lingua *Capys* dicitur, fuerit condita; sive denique ejus auctor idcirco *Capys* diceretur, quod pedum digitos aduncos haberet, quod quidem Etruscis dicebatur *Capys*, Latinis vero *Falco*; illud quidem certe extra omnem dubitationis aleam ponendum est; quod sicuti *Falconi* ab pedum curvitate; ac falcata digitorum figura nomen est, sic & *Capys*, quod est ab $\kappa\alpha\pi$ *Cap*, *curvitas* tantumdem apud Etruscos valeat. De qua quidem originatione tantum abest, ut dubitare quis possit, ut ipse Bochartus (tamen si Etruscis nihil commune umquam cum Hebraeis, aut Phoeniciis fuisse contendat) certissimam existimaverit; vide in *Chanaan* pag. 585. 39. Sed & qui *Capuae* nomen ἀπὸ τοῦ κάμπεσθαι potius, quam a *campis* derivant, huc quoque redeunt. Graecorum enim κάμπεω esse ab Hebraeo $\kappa\alpha\mu\pi\alpha\phi$ *capbaph* ii per se facile intelligunt, qui ab hisce studiorum amoenitatibus minime abhorrent. Quamlibet itaque in partem *Capuae* etymon veritas, una nobis semper ob-

obversabitur *curvitat*is notio ; eaque una est , quae cum Hebraico *Capuae* significatu mirum in modum conspirat .

Ac ne porro de Hebraica hae originatione ullus sit contra hiscendi locus , suppetias feret Latinum *Capuae* nomen , quod est *Volturnum* . Enimvero quum nomen hoc ab *supino volutum* deducatur , id ipsum Latinis erit , quod Hebraeis *Capua* ab קפ *Capb* . Accedit , quod sicut & *Capuam* alii deductam volunt a *Capy* , qui Etruscis aequae , ac Hebraeis significat incurvos falconis ungues ; ita & *Volturnum* erit ab *Voltur* (sic illud scribebant veteres , qui singulis quibusque in vocibus pro *Vul Vol* potius dicere consueverunt : immo & in ipsis Augustorum lapidibus *VOLTVRNVS* semper , numquam *Vultur* occurrit) ab *voltur* , inquam , quae quidem avis ex falconum genere est , eamque Graeci γῦπα (id ipsum *curvitatem* significat , quippe ipsissimas Hebraei קפ *Cap* litteras continet) Latini *Volturem* dicunt abvolvendo , quod ungues introrsum *volutas* habeat . Hinc *vultures* apud Homerum Od. II. dicuntur γαμψώνυχες , & Il. II. γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι , hoc est *unguibus ac rostro incurvo* . Nihil itaque addendum superest , ut pateat Etruscis Hebraeisque *Capuam* tantundem esse , ac Romanis *Volturnum* .

At enim , inquires , si *Capys* Latine est *Falco* , *Capua* erit *Falconia* : ecquid igitur causa est , cur *Volturnum* potius , quam *Falconiam* dixerint Romani ? aut cur denique in ea nominanda *Vulturis* magis , quam *Falconis* nuncupatio arriserit ? Cui quidem objectioni ut facerem satis , de *Falconis* nomine σχεδιασματιδιον subiiciendum hic esset ; & opportuniore quidem in loco facturum polliceor ; ibique ostendam I. *Falconis* vocem , quo sensu avem significat , Romanis eo tempore prorsus ignoratam , atque a Julio Firmico primum sub Constantino , dein a Servio usurpatam . II. Ante vero id temporis commune fuisse hominum , aviumque nomen , qui aduncos ungues haberent : vide Festum . III. Firmicum ipsum , Serviumque , qui eam vocem denotandae avi addixerunt , genericum avium omnium nomen existimasse , quibus incurvi essent pedum ungues ; tum *Fridericum II.* in *de Arte venandi*

di commune rapacium avium nomen fecisse . IV. Romanorum *vultur* , & Graecorum γύξ , earum avium vocabulo comprehendendi , quas Graeci γαυψώνυχας , hoc est *Falcones* , sive curvis unguibus alites dicebant ; adeoque *Vulturem* , & *Falconem* omnino ὁμονύμους esse , ac τῷ γαυψώνυξ ad unguem respondere . His equidem argumentis lectorem veluti manu deducere , quibus per se ipse intelligeret , quam bene Romani , ut Etruscum CAPVAE nomen Latine redderent , *Voltturnum* maluerint , quam *Falconiam* dicere . Quid quod eo sub nomine arcanum delitescit , quod longum hic esset enucleare ? Non deerit tamen tempus , quo commodius de minutis hysce quisiuiliis redeat sermo .

At vero quo pacto efficiam , ut fortissimum , qui mihi sit obviam , hostem declinem ? Is est Livius Romanae historiae pater , qui rem omnino aliter refert . Ait enim , eam urbem ab Etruscis primitus aedificatam , *Voltturnumque* dictam ; Samnites dein rerum potitos eam *Capuam* dixisse . En ipsissima ejus verba lib. IV. cap. 37. *Peregrina res , sed memoria digna traditur , eo anno (331. V. C.) Voltturnum Etruscorum urbem , quae nunc Capua est , ab Samnitibus captam : Capuamque ab Duce eorum Capye , vel (quod propius vero est) a Campestri agro appellatam .* Verum ab Livio ad quidquid veterum Scriptorum est provoco , qui CAPVAE nomen Etruscum fuisse , atque ab Etruscis impositum uno ore adfirmant ; tamen si de significatu , facto veluti dissidio , alii alias ineant vias . At , inquires , utraque voces *Capys* , & *Capua* Samniticas aequae , ac Etruscas esse . Esto . Neip tamen mihi hoc eripiet , quin ut Livio adhibeatur fides , *Voltturnum* saltem Tyrrhenicae originationis fuisse ostendi oporteat . At qui *Voltturnum* , ut & *Vultur* latina esse vocabula , ultro in cuiusque oculos incurrit , quippe qui ab supino *volutum* deducitur , quod unguis incurvos , ut ait Homerus , habeat . Sane *Voltturnus* sive Deus sit , sive ventus , Romanorum res erat , non Etruscorum . Denique ne rem latius diducam ; Etrusca bilinguis appellationis loca ejusmodi semper fuerunt , ut ex nominibus vetustius alterum , atque Etruscum fuerit ;
alterum

alterum vero recentius sed interpretamentum vetustioris, sive Latinum, sive Graecum, sive alterius denique populi, qui eas urbes occupaverat: cuius quidem rei exempla plurima attulimus, multo plura in Diatribis VI. ac VII. allaturi. Vido Dissertationem pag. 92. not. 1. Quod si CAPYS, & CAPVA, nemine diffidente, Etrusca sunt nomina, VOLTVERNVM certe ad aliam linguam referatur oportet; quod cum neque ex Graeco fonte, neque aliunde derivari possit, latini omnino peculiis fuisse fatendum est; eo vel maxime, quod Latinis auribus tantumdem valeat, atque Etruscis CAPVA: ut enim *Capys* τῶ *Vultur* respondet; ita & derivatum CAPVAE nomen nusquam aptius, quam *Vulturnum* latine reddi poterit.

At vero Livium erroris insimulabimus? Atqui id de Polybio, aut Dionysio aegre adfirmarem. Sed quum Livius in verborum potius, quam rerum delectu, praesertim quae alias nationes spectarent, multo fuerit studiosior (nam eundem invidiae accusare non audeo, quod populos Romanae olim potentiae aemulos deprimere maluerit); mihi facile persuadeo, ut minimum hoc σφάλμα aliis ejus erroribus accenseam. Ac certe nihil ei proclivius erat, quam ut a vero aberraret, si indidem sua hauserit, unde & Servius. Ea enim Servii adnotatio, quam certe ab vetustioribus monumentis exscripsit, innumeris scatet erroribus. Sic ad lib. X. 145. cum *Capuae* nomen, atque originem Etruscis tribuisset, subdit: *Alii a Tuscis quidem retentam, & prius ALTERNVM vocatam. Tuscos a Samnitibus exactos Capuam vocasse.* Verum post vocem *vocatam* interpunctionem remove, unoque spiritu rescribe: *Prius Alternum vocatam Tuscos . . . Capuam vocasse*; adhaec verba illa *a Samnitibus exactos* parenthesi coërce. Quis enim risum teneat, si dicas, tum ab Etruscis dictam *Capuam*, quum ii ab Samnitibus fuerunt expulsi? Itaque verba illa *Tuscos a Samnitibus exactos Capuam vocasse*, ut sibi consent, ad hunc ferme sensum refingenda sunt: *Tuscos (qui postea a Samnitibus exacti fuere) Capuam vocasse.* Reliqua Servii verba sic se habent: *Ob hoc, quod hanc quidam Falco* (homo scilicet, cui ab

aduncis unguibus quadraret appellativum *Capys*, sive *Falconis* nomen) *condidisset*, cui *pollices pedum curvi fuerant*, quemadmodum *falcones aves habent*, quos viros *Tusci Capuas vocarunt*. Jam vero si eodem ex fonte *Livius* suam hausit historiam, unde & *Servius* suum commentarium, nihil certe facilius fuit, quam ut caelum terrae misceret, atque *Alternum Vulturno* supponeret (nisi mavis in *Servio Vulturnum* recudere) & inde suo Marte deduceret, Campaniae metropolim tum demum *Capuam* nuncupatam, quum *Samnites* rerum domini evaserint.

Illud itaque verissimum est, vetustum ejus urbis nomen fuisse *Capba*, sive (ut in audientium auribus sonabat) *Campa*; tum (mitescendo asperiori B) bisyllabum *Capua*; quod denique trium fortasse syllabarum evasit: apud Graecos enim Scriptores legitur *Καρόν*, ut ex *Velia Υἱάν*. Romani vero (ut in *Bononia*, *Clusium*, *Aequi*, aliisque hac illac sexcentis evenisse monuimus) rerum potiti, ejus nomen in *Vulturnum*, quod tantumdem valebat, mutarunt. At vero in ceteris obscuri nominis urbibus facillimum fuit Romanis rerum dominis vetustiora nomina obliterare, ita ut nova tantum in honore essent vocabula. At idipsum *Capuae* accidere non poterat, quae totum orbem sui nominis magnitudine compleverat. Ac potuerunt quidem eam senatu, magistratibus, ceterisque rei publicae vestigiis exspoliare; at nomen ab hominum memoria eradicare non potuerunt. Id vero, ut & hujusmodi alia, fortasse in causa fuerunt, cur captam urbem *superbiae sedem* nuncuparent, quippe quae vel uno in nomine, quod ei reliquum fuerat, sibi maxime placere poterat. Immo & deductis eo pluribus deinceps coloniis, quibus *IVLIA*, *FELIX*, *AVGVSTA* audivit; at *CAPVA* semper dicta fuit, quo quidem adhuc nomine, vel situ paullisper mutato, gaudet.

Verum de illustri hac metropoli sermonem omnem in aliud tempus differre praestat; aequae occasione ejus nummos expendam: quorum nunc unum, & alterum leviter attingam. Nimirum quae in VIII. numismate duobus vecta equis occu-

cur-

currit, fortasse erit Diana, quippe Lunam in fronte gerit. Et Capuae quidem ad Tifatini montis radices celebre fuit *Dianae Tifatinae* templum. Ab Leone vero, qui in averfa XII. nummi parte visitur, fortasse Pompeius gemmae sculpturam, qua signare solebat, expressit, in qua λέων ξιφίης, h. e. *Leo ensē stringens* exhibebatur, de quo vide Plutarchum in Vita Pompeii sub finem: nam & Pompeium Capuae studiosissimum fuisse scimus. Reliquos denique nummos commodius in tempus differens, hoc interim monitum te volo, qui numero decimus est (qui quidem omnium primus, ut dixi, meas in manus incidit) binas habere in postica parte figuras, de quibus haud facile rationem reddas. Omittendum tamen non censeo, Innocentium Cyrillum elegantissimi ingenii virum, Nicolai Cyrilli celeberrimi nostrae memoriae philosophi fratris filium, pro eo, quo antiquitates omnes prosequitur studio, cum sexdecim ea numismata, quae in hisce Diatribis attuli, ipse per se diligentissime delineasset, ea in opinione fuisse, ut binas eas figuras, quarum non visitur facies, duas ambulantes mulieres existimaret ..

D I A T R I B A VI.

CATALOGVS NOMINVM ETRVRIAE LOCORVM
 (QVORVM SIGNIFICATIONES REBVS CONSEN-
 TANEAE NONNISI IN ORIENTIS LINGVIS
 DEPREHENDVNTVR) κατὰ σοιχείον .

ABAE (ABAI) Stephani , five EBA (HBA) Ptole-
 maei , an quia five *Ciminiae* , five alteri cui sylvae
 adhaerebant , inde id nomen obtinuerunt ? עב *Ab* certe *syl-*
vam densam significat .

ADHARNAHAM (cuius meminit Livius X. 23.) in
 tria μόρια (*particulas*) ex quibus coaluit , est resolvendum
 in hunc modum עֲדָבָר נָעַם *Ad-bar-nabam* ; quae sunt toti-
 dem Hebraica vocabula significantia *Ad-montem-amoenum* . Et
 quidem sexcenta sunt locorum nomina , in itinerariis po-
 tissimum , ab AD incipientia , ut videbimus . Verum id mul-
 to est notabilius , quod hinc intelligitur , Latinos praeposi-
 tionem AD ab orientalibus per Etruscos accepisse . At erunt,
 qui objicient , Hebraicum עַד *Ad* longe aliud esse ; quippe
 quod significet *usque ad* i. e. *usque ad* , notetque temporis aut loci
 terminum . Verum non desunt exempla , in quibus עַד *ad*
 nihil differt ab אֵל *el* i. e. ab AD Latino . Duo hujusmodi
 exempla Pagninus protulit , unum Deut. IV. 30. alterum
 Os. XIV. 2. in quibus *revertendi ad* (Heb. עַד *ad*) *Dom-*
inum φράσις , usurpatur . Nec dubito , quin longe plura riman-
 tibus sint occurrentia . Hinc non mirum , si Latinum AD non
 tantum sit *usque ad* , sed respondeat etiam Graecis praeposi-
 tionibus πρὸς , & ἐπὶ . Nec dubito , quin veterum Etrusco-
 rum AD (a quibus proxime id Latini hauserunt) non mi-
 nus late patuerit . Venio ad geographicum AD , quod loco-
 rum nominibus praefigitur , nec facile alibi quam in itinerariis
 occurrit : ex quo datur intelligi , fuisse eam particulam illarum
 mansionum vocabulis praepositam , ubi oppida aut pagi dees-
 sent .

sens. His ergo τὸ AD praescribatur, sive ad notandam hospitii συνέχειαν (*cohaesionem*) ut AD CONFLVENTEIS, AD DVAS COLUMNAS &c. quia confluentibus, aut geminis columnis mansiones illae adhaerebant; sive quia tot millia alicunde AD (usque) CONFLVENTES, aut DVAS COLUMNAS numerabantur. Huc spectant & illa AD CENTESIMVM, AD DODECIMVM, AD DECIMVM, AD OCTAVVM, supple *lapidem*; quod notionem τὸ VSQVE AD, & Hebraici אד AD complectitur. Ergo *Ad-bar-nabam* est *Ad-montem-amoenum*, significatu geographico, quo locorum συνέχεια notatur, quia is locus alicui colli amoenissimo adhaerebat. Hebraeum quidem אבנא *Nabam* verbum est, quo significatur *amoenum* aut *jucundum* esse, a quo fit אבנא *Nabim*, *jucundus*, *amoenus*. Sed Tyrrhenorum dialecto *Nabam* nomen erat; quod non raro alias in Hebraeo accidit, ubi verba ac nomina ejuldem sunt soni ac scripturae. Ceterum ubi potissimum Livianum *Ad-bar-nabam* situm fuerit, tum ex Livianae narrationis συνέχεια (mox enim *Ad Clusium* relicta secunda legio dicitur) tum etiam ex conserta cum *Ad-bar-nabam* nomine *montis amoeni* notione, Tusci eruditi statuerint. Interim dum aliquis certiora afferat, Cluverio assentiamur licebit, qui Livianum *Ad-bar-nabam* (quod vitiose meo iudicio in recentioribus editionibus *Abarnam* scribitur) idem esse statuit, ac Silii ac Ptolemaei ARNA, ac Plinii *Arnenses*: quod eidem Cluverio situm fuisse videtur in Tusciae Umbriaeque confinio, ex adverso Perusiae, haud procul a Tiberi, ubi nunc dicitur *La Civitella d' Arno*. Et hunc totum tractum scio montuosum esse; imo plures ibidem montes collesque amoenissimos me contemplatum meminisse, quum ante hos amplius viginti annos eam regionem peragrassem.

AGYLLA quae primitus dicebatur, postea CAERE fuisse appellatam Strabo tradidit ob hanc causam, quod Etruscis obsidentibus, ac de urbis nomine sciscitantibus, Pelasgi conditores consuetam salutandi formulam Χαῖρε (*salve*) initio sermonis usurpassent, ex quo omine postea Tyrrheni urbem ab se

se captam *Caere* appellaverint . Perparum ab his dissentientia in Stephano & Servio reperies . Haec quidem fabulam redolent, illi non dissimilem, quam (de corio scil. in tennes lacinas dissecto) Graeci *Byrsae* nomini, quasi vero istud Graecanicum esset, superstruxerunt . Nec vero Pelasgi, maxime in tam remota antiquitate, Graeco, sed, teste Herodoto, sermone utebantur *barbaro* h. e. orientali . Verum de Pelasgis alibi . Ergo quicumque demum primi urbis hujus conditores fuerint, sive Pelasgi, sive Tyrrheni, sive in commune ac mixtim utrique, sive demum Pelasgi Italici a Tyrrhenis nomine tenus diversi fuerint (quas nunc disputationes in medio intactas relinquo) videtur certe ea urbs, quantum ex nomine suspicari licet, primo in Etruriam appulsu condita, eique impositum nomen ex CAERE & AGYLLA conflatum in hunc modum, קרת הגולה *Kaeret-hagolah* i. e. *civitas migrationis* . In eundem modum sunt illa in sacro codice nomina *Karjath-Jarim* quae & *Karjath-Baal* i. e. Urbs Baal: sic & *Karjath-Arbe*, & *Karjath-sepher* & *Karjath-senna*, & si quae porro aliae sunt, in quibus γενικόν (*appellativum*) civitatis vocabulum proprio praeponitur . Ac neminem conturbet, quod in CAERE nullum T exauditur; nam (ut omittam quod in קרת *Kaeret* littera T non radicalis est, sed servilis) CAERE non integrum est, sed ex longiore CAERETE, (in quo T non deperiit) decurtatum . At Etruscos CAERETE potius aut CAERET dixisse, illud argumento est, quod oppidani CAERITES, non sine T, dicuntur: sic etiam *Tudertum* in Etrusca monumentis TVTERE, si probe memini, scribitur . At venio ad alteram compositi nominis partem, quae est *Agylla*. Id ajo ex הגולה *Hagolah* (*migratio*) factum; cujus Hebraici nominis prima syllaba pertinet ad emphaticum dictionis initium, quod deinde apud alios populos Hebraice ignaros *Al* usuvenisse scimus . Ergo ex *Hagola*, lenito spiritu, & O cum V (quippe cum littera Vau utrique harum vocalium serviat, & Etrusci semper O cum V permutare ament) commutato existit *Agulla* sive (quod idem est) *Agylla* . Et primitus quidem utrum-

trumque hoc vocabulum junctim pronuntiabatur, quoties de hac urbe sermo esset: sicuti *Alba Longa* junctim scribebatur, cujus incolae *Albani Longani* audiebant. At postmodum alterutrum compendii gratia pronuntiabatur, ac ferme saepius prior pars CAERE, id quod in aliis binominibus evenit, quorum prius retentum fuit, alterum omissum.

Ceterum si quis nunquam hoc sibi evelli patiatur, quin duo fuerint ejusdem urbis nomina diversis temporibus usurpata, quorum *Agylla* antiquius fuerit, *Caere* recentius: fruatur per me licebit opinione sua. Ac ne sic quidem singula nomina minus Hebraica erunt. Nam si quaeras cur primitus *Agyllam* vocaverint; respondebitur, quia primo adventu aedificatam suae migrationis fixam sedem ac portum statuerint. Cur, inquis, postmodum CAERE dicta? Vel quia *קרא* (*appellativo*) urbis nomine ad minorum oppidorum, qui forte verius pagi essent, discrimen uti voluerunt, sive potius a religionis cultu, qui apud Caeretanos impensior erat. Nota est narratio de Caeritibus jure municipii (sine suffragio tamen) donatis ob eam causam, quod Virgines Vestales, & Sacra Populi Rom. tutum apud eos receptum reperissent. Nec enim Caere potius, quam in alio viciniore oppido sacra deposita puto ob aliam causam, nisi quia Caere potissima sedes religionis apud Tyrrhenos esset. Hinc urbi nomen; quia *קרא* *Karab* non tantum *vocare* significat, sed et *invocare*, quum scilicet nomen Dei sequitur. Hinc Gen. extremo IV. capite ubi scribitur, *Iste* (Enos) *coepit invocare nomen Domini*: Hebraice id sonat: *Tunc coeptum est invocari* (Heb. *לקרא* *likro*, i. e. *ad vocandum* sive *invocandum*) *nomen Javob*.

ALMA parvus est fluvijs, quem hodieque sic appellari narrat Cluverius. Videtur is ob exiguitatem sic dictus, non minus ac ALMON in Latio, qui & maxime exilis erat; ab *עלם* *alam* scilicet quod est *latere*, quia minutiora aspectui se subducunt. Quid quod ab allata radice nomen *עלמה* *alma* Hebraeis sit, quae vox *virginem* significat? Hoc jam si sequimur, videndum, cur hisce parvis fluentis *virginis* nomen adhaeserit. Scio magna flumina dicta esse *tauriformia*. Ho-

ratio Aufidus est *tauriformis* : Acheloo ceterisque fluminibus eccur taurina cornua tribuantur Strabo. lib. X. disputat, qui in strepitum & alveorum flexus confert rei causam. Equidem potius a robore & violentia tauris assimilata credo: nam & ob eandem rationem non sub puerorum aut adolescentium, sed sub heroum torosa membra habentium specie amnes scalpuntur in nummis. Contra vero fontes ac rivuli Nympharum nomina gerunt, unde & *Nymphæis* nomen est; sicuti contra in veteribus titulis Nymphas memini LYMPHAS appellari. Quid vero interest, utrum rivum aliquem *Nympham*, an *virginem* voces? sunt enim synonyma. Omnino ea locutio est ab oriente; ac memini me Scripturae loca quaedam adnotasse, quibus id doceatur; quae nunc prompta non habeo. En cur amniculus, de quo agimus, sicuti & ALMON, *virginis* nomen invenerint; nec Virginis cujuscumque, sed cum sanctimoniae notione (nam Hebraeum ALMA, si Hieronymo credimus, consertam habet sanctitatis significantiam, ab eaque est causa, cur Deae apud Latinos ALMAE a poetis dicantur) non secus ac *Nympha* non quaelibet virgo plebeia est, sed quae Deos aut heroas procos habere possit. Ac vetus Latium hanc, quam dixi, amnis ALMAE significantiam non ignorasse, non solum ea docent, quae de Nymphis fontibus docui, sed & *Aquae Virginis* appellatio; quam plerumque absolute VIRGINEM nuncupabant, usi certe ALMAE interpretamento. At posterius Latium, quippe verae etymologiae ignarum, vulgi narrationibus aures admovit. Plinius XXXI. 3. *Virginem* dictam narrat, quia *juxta est Herculanus rivus, quem refugiens* (aqua haec) *Virginis nomen obtinuit*. Frontinus (artic. X.) sic dictam vult, *quod quaerentibus aquam militibus puella virguncula venas quasdam monstravit*. Cassiodoro VII. 6. sic appellata creditur, *quod nullis sordibus polluetur*.

ALSIVM ad ostium Aronis fl. fuisse, ostendit Cellarius. Viderint eruditi Tusci, utrum Alsienis ager sicuti ex una parte flumine, sic ex altera alio quo obice angustaretur. Certe ut Hebraeis אֵלֶּס illes, sic Syris אֵלֶּס alles est *angere*,

gere, artare, in angustum cogere. Possit & ab פָּרַח *alas* deduci, quod est *exsultare, laetari*; si quis exsultationis פִּרְפּוּרִים argumenta ex antiquitatis sinu depromere se posse confidat. Sed incerta mittamus.

AQVAE PASSERIS. Vide infra in PASSERIS.

AQVAS TAVRI Tabula Peutingeriana vocat, quas Rutilius *Tauri dictas de nomine thermas* nuncupat tertio a Centumcellis milliario. Nec antiquior hujus appellationis testis est Plinio, de quo mox. Cur sic vero appellentur, Rutilius idem, ex veteris famae vestigiis, hanc causam attulit, quia taurus, dum tellurem ungulis tunderet, venam elicit. Verissima narratio; modo *Tauri* nomine *Aquilicem* intelligas. Nam Chaldaicum תור *Tor*, five (pronuntiatione Syra & Arabica) TAVR idem est, quod Latinum TAVRVS. At idem nomen Hebraice significat *exploratorem*, aquarum scil. qui Latinis *Aquilex* dicitur. *Taurus* igitur fontis hujus repertor non alius quam *Aquilex* erat. Potest etiam rectius deduci a טור *tur, augurari* (unde טיר *tajer* Chaldaeis *augurari*) quia non sine auguriis Tusci, opinor, aquas investigabant. Et totum aquarum eliciendarum negotium, quippe ad divinationem pertinens, Tuscorum erat, Varro Quinquatribus . . . *hoc pacto utilior te Tuscus aquilex*. Ubi, quum sit hexametri finis, penultima longa ostendit, vocem hanc ab *aquis eliciendis* fieri, & melius *aquilices*, quam *aquileges* ab *aquis legendis*, dici. Hinc *Aquaelicium* five potius *Aquilicium* apud Festum est, *quum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur*. Habes quis *Aquas*, de quibus agimus, monstraverit; non *Taurus* quadrupes, sed *Taurus* i. e. *indagator*, qui Latinis *aquilex* dicitur: quos *aquilices aquarum indagatores* Columella II. 2. vocat. Venio ad Plinium, apud quem in Tusciae descriptione recensentur *AQVILENSES*, cognomine *TAVRINI*; ut in manu exaratis legitur. Quos ut ad AQVAS TAVRI Tabulae itinerariae referrent; illud *Aquilenses* in *Aquenses* refinxerunt. At prius illud rectum erat. Nam equidem observavi Pliniana locorum cognomina plerumque esse ex antiquioribus Tuscis nominibus, quae tan-

tumdem significant sermone Tusco, ac Latina ipsa nomina quae praeponuntur: de quo vide plura exempla infra in FALISCI. Ergo TAVRINI (i. e. *indagatores aquarum*) tantum valent, quantum AQVILENSES, sive potius (quo modo scripsisse Plinium suspicor) AQVILICENSES. At aevo sequiore (quo Tabula illa itineraria prodiit) verum loci nomen in AQVAS TAVRI degeneravit; ac reperti sunt, qui nomini fabulam superstruerent.

AQVA VIVA in Tabula Peutinger. & Itinere Hierosolymitano locus est Etruriae incerti situs. Locutio autem orientalis est. In Scripturis *aquae vivae* aut *viventes* aquis palustribus opponuntur. Itaque nomen Etruscum huic loco erat, quod ad Scripturae מַיִם חַיִּים *maim chaim* (i. e. *Aquae vivae*) proxime accederet.

ARNINA fluvius (sic enim in Itinerario maritimo dicitur, qui in Tabula Peutinger. est ARMENITA) item qui sequitur.

ARNVS ejusdem est prorsus significationis, ac ARON, de quo mox. Certe ab eadem radice אֲרֹן fit tum אֲרֹן *Aron* (i. e. *Arca*) tum etiam (more & analogia Chaldaica) אֲרִנָּא *Arna*; unde est ARNVS terminatione Latina. Et certe Arnus, ubi, cum Aufare confluit, multum regionis circum ambit; eoque *Arcae* nomen invenit. Plura de his ad Gen., ubi de *Arca* Noae, dicuntur. Ceterum nec procul a fonte *arcae* denominatio ei convenit: nam eo in intervallo, quod ejus originem, & Senae confluentem interest, peninsulam efficit. Verumtamen non multam affinitatem cum Aufari habet Arnus, quicum vix prope finem sese commiscet. Interim vide infra in AVSER quae Arno cum Aufare sunt communia.

ARON fluvius, cujus modo meminimus, *arcam* Hebraice significat. Terrarum plerasque, quae aliquo flumine ambiebantur, Heroicorum temporum dialectus αἰβωτος appellabat, aut alio *Arcam* significante nomine donabat. Id alibi ad Gen. pluribus ostendi, quae spero propediem in publicum proditura. Nec minus fluvii, qui alicubi suo flexu

pe-

peninsulam facerent, id nomen assumebant. ARNON Moabitum, *Arcam* significat; credo, quod terrae portionem suis maeandris interciperet. ARON certe ubi e palude Sabatina emergit, ita se inflectit, ut ibi peninsulam faciat. Vide quae proxime diximus in ARNVS.

ARTENA, si vera de ejus positu prodit Cluverius, non procul a Sabatino stagno remota fuisse videtur. Chald. ארית *arit*, *fluvium*, *stagnum*, *piscinam*, *fontem* aut quamlibet aquarum conceptionem designat.

AVDENA amnis nomen est, qui ex Apenninis defluens, in sinistram Macrae ripam se se immittit. Id vocabulum potuit apud Tuscos γενικόν (*generale*) esse fontium aut fluminum omnium. Gen. II. 6. ubi *fons* ascendisse de terra dicitur, (ubi etiam LXX. πηγή *fons* posuerunt) ibi Hebraice est אד *Ed* pro אד: quod argumento est, eo vocabulo non tantum *vaporem* & *nebulam*, (an ad Audenam aër sit nebulosus, accolae viderint) verum etiam *fontem* ac *fluentum* designari. Atqui prima vocabuli radix non est אד *Ed*, uti putant, sed אד *Od*, &, variante dialecto, AVD; uti ex analogia sexcentarum aliarum vocum, quae secundâ littera pro Vau assumunt Jod, possem ostendere.

AVSER sive AVSAR (hodie, uti volunt, *Screbio*; etsi alius est in proximo amniculus, vulgo *Osari*, qui *Ausaris* nomen servavit: de quo vide adnotationem Petri Angelii Borgei ad Rutilium Numatianum lib. I. v. 566. apud Josephum Castalionem & observationem Petri Victorii lib. 17. Var. lect. c. 3.) sive AESAR, olim, quando cum Arno ad Pisas fluentia miscebat, miraculo fuisse traditur; quod narrat Aristoteles in *de mirab. auscultationib.* docens apud Ligures (nam fuit, quum Ausar Ligures sive in utraque, sive in dextra ripa haberet) amnem fuisse, ὃ τὸ πρῶμα αἶρεται μετέωρον, καὶ ῥεῖ, ὥς τε τὰς πέραν μὴ ὁρᾶσθαι, *cujus fluentum usque adeo sublime progreditur, ut in altera ripa stantium conspectum auferat*. Sed Strabo & fluminis nomen edidit, & longe plura affert lib. V. Συμπετόντες δ' εἰς ἐν ῥέθρον (*Arnus & Ausar*) μετεωρίζουσιν ἀλλήλους ταῖς ἀντικαταῖς ἐπὶ τοῦτον ὥς τε τὰς.

τὸς ἐπὶ τῶν ἡϊόνων ἐς ὧτας ἀμφοτέρων, μηδ' ἕτερον ὑπὸ θατέρω καθο-
 ρᾶσθαι . . . Μυθεύουσι δ' ὅτε πρῶτον ἐκ τῶν ὄρων κατερέοντο οἱ πο-
 ταμοὶ ἕτοι, κωλυόμενοι ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, μὴ συμπετόντες εἰς
 ἕν, κατακλύζοιεν τὴν χώραν, ὑποσχέσθαι μὴ κατακλύσειν, καὶ φυ-
 λάξαι τὴν πίσιν. *Qui* (Arnus & Aufar) *ubi conflunt*, *al-*
ter alterius violento incurfu ita se invicem attollunt, *ut qui*
utrinque in ripa consistunt, *alius alium observare nequeant*
 . . . *Fertur fabula*, quo primum tempore illi amnes e mon-
 tibus proni decurrerent, incolis obsistentibus, ne in unum
 confluentes alveum, diluvio agrum vastarent, pollicitos fuis-
 se amnes se non facturos eluvionem, ac stetisse promissis.
 Fallor? an tum sub AVSARIS nomine, tum etiam sub
 fabulae involucro mira Orientalium παράδοσις (*tradita per*
manus doctrina) latet? Ab Heb. verbo עָצַר *asar* (quod est
 cohibere, claudere, congregare) fit nomen עָצַר *Ofer*, quod
 Prov. XXX. 16. Pl. CVII. 39. Il. LIII. 8. usurpatur, ac
 modo *Claustum*, modo *angustiam* (*ενοχωρίαν*) sensu Biblico
 designat. Potest & *congregationem* notare, ex cognati nomi-
 nis עֲצֵרָה *aserab* notione; adhaec & *cohibitionem*, *retentionem*,
impedimentum, ex verbi significationibus. At עָצַר *Ofer*, si
 Syriace aut Arabice pronuntietur, continuo AVSER (ipsis-
 simum hujus amnis nomen) evadet. Nunc quamlibet hujus
 nominis notionem sequare, perbelle omnes fabulosae narra-
 tioni convenient. Si vis, τὸ עָצַר *Ofer* sive *Auser* notare
congregationem, habes in ea fabula, undas medio alveo in
 sublimi congregatas, non secus ac Ex. XV. 8. in simili nar-
 ratione maris rubri hinc & illinc in sublime sublatis dicitur:
congregatae sunt aquae, stetit unda . . . congregatae sunt abyf-
si (*erectae*) *in medio mari*. At si mavis *retentionis*, aut *co-*
hibitionis notionem sequi; ecce duo amnes, cohibitu-
 ros se eluvionem sponponderunt, ac revera undas in sublimi pendu-
 las retinuerunt: quo plane significatu in eadem hac re utun-
 tur verbo עָצַר *asar* sacri scriptores, quoties de claudendo,
 aut cohibendo caelo sermo est; veluti Deut. XI. 17. (*ne . . .*
Dominus claudat caelum (Heb. עָצַר *asar*) & *pluviae non de-*
scendant) tum III. Reg. VIII. 35. & II. Paral. VI. 26. VII.

13. ubi idem est verbum, & eadem *caeli cobibiti* locutio; ut omittam Job XII. 15. *Si continuerit* (*יַאֲסוֹר* *jaasor*) *aquas* (*Deus*) *omnia siccabuntur* . Atque haec genuina significatio AVSARIS amnis est, fabulae sic consentanea, ut convenientius nomen excogitari nequiverit . Sub hujus autem fabulae cortice & sub AVSARIS nomine pulcherrima doctrina latet millies in scripturis decantata, nimirum *aquas maris* (quippe multo terris tumentiores, ex populari scil. Hebraeorum opinione) continuo tellurem inundaturas, nisi Dei praecepto & increpatione intra praescriptos limites continerentur . Huc illa pertinent Job. XXXVIII. 10. *Posui vestem, & ostia, & dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et Jerem. V. 22. *Me ergo non timebitis qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit Et intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud* . Quis porro adeo stipes est, qui non videat ei populo, qui flumini huic AVSARIS nomen imposuerit, quique tam consentaneam nomini fabulam excogitarit, orientales opiniones, *φρασιολογίας*, & *παραδόσεις* animo obversatas; eundemque populum ex oriente huc esse profectum? Confer omnino cum hac fabula alteram similem de *Scheria*, de qua plura in *Schediasmate* de *Corcyrae* nominibus commentati sumus . .

BACCANAE in Antonini itineralio, sunt ab Heb. *בחון* *Bachon*, & *בחן* *Bachan* (qua posteriore forma reperitur Is. XXXII. 14.) quae voces significant *speculam exploratoriam*, *turrim munitam*, *arcem* . Hodiedum *Baccano* dicitur, XV. ab *Roma* millibus .

CAERE . Vide supra in AGYLLA .

CAMERS . Vide infra in CLVSIVM .

CAPRIVM castellum erat (cujus unus, quod sciam, Diodorus Lib. XX. meminit, τὸ καλούμενον Κάπριον φρέριον, *Castellum nomine Caprium*) a *כפר* *Cepar* sic appellatum: quae vox *pagum* aut *castellum* significat . Id nomen quia productius evasit; ex nota & ἀναλογικῇ vocalium mutatione *Κάπριον* *Caprium* evasit .

CAR-

CARBANIA apud Melan insula est ad oram Etruriae. Videtur proxima continenti fuisse (nam קרב *Karab* est *appropinquare*) imo una ex duabus esse, quae sunt inter Ilvam & Populoniam : quippe קרב *Kereb* est *medium* .

CAREIAE in Itinerariis appellantur , quae Frontino CAREAE sunt . Id vero est ipsissimum Chald. קריא *Keria* vel Arabice קריה *Karia* , quae sunt *Oppidi* appellativa vocabula .

CIMINIAM sylvam omnes historiae loquuntur , tamquam ad struendas insidias aptissimam . Vide prae ceteris Livium . Id nomen procul dubio est a Chald. כמן *Ceman* , quod est *latendi* , *occultandi* , & *insidiandi* verbum . A quo verbo fit כמנא *Cemana* , quod nunc *insidias* nunc *insidiatorem* significat ; item *locum insidiarum* , latibula obliqua & abstrusa . Vide Buxtorfium in Lex. Chald. Sed & Arabicum כמין *Camin* nihilo minus *insidias* designat . De Arabico vide Castelli Lexicon .

CLVSIVM una ex XII. principibus Etruriae urbibus , etiam Porfenae potentissimi Ducis , penes quem summa auctoritas in Etruria erat , Regia fuit . Sane quantum ex diversis Livii , & aliorum locis potest intelligi , nulla erat bellicosior in Etruria civitas , situ & fortissimis copiis munitissima . Livius ad an. CCXLVI. *Porfena Romam infesto exercitu venit . Non unquam alias ante tantus terror Senatuum invasit : adeo valida res tum Clusina erat* . Itaque nisi si quid melius affulserit , non invitus crediderim CLVSII nomen venire a חלוץ *Ghalus* , quod *Expeditum* , aut *armis succinctum* , aut omnino *militem* significat : nec aliud in scripturis familiarius est militis vocabulum . Ac non raro cum צבא *Saba* (i. e. *militia*) jungitur : itaque חלוץ צבא *Ghalus-Saba* est *expeditus* sive *succinctus militiae* h. e. *miles* . In qua locutione *Sceva* prioris syllabae facile in pronuntiando absorbetur , ut sit CLVS , ipsum scil. urbis CLVSINAE nomen , in qua scil. armatae juventutis stativa fuerint , ubi se illa ad bellicas artes exercebat . At dixerit aliquis , vanam a me operam impendi , qui Latinum nomen ex Hebraeo interpretari fatagam :

fatagam: quum CLVSIVM a verbo CLVDO deductum videatur. Esto. Atqui CLVSII nomen, si Latinum est, alteri Tusco ejusdem significationis respondebat. Antiquius urbis nomen Livius non tacuit, scribens lib. X. *Relicta secunda legione ad CLVSIVM, quod CAMERS* (sive ex aliis exemplaribus *CAMARS*) *olim appellabant, Romam . . . rediit*. Atqui si a Tusco nomine caninam litteram dempseris (quam videntur de suo Tyrrheni addidisse, quorum dialectum Rhotacismo laborasse, Etrusca monumenta passim ostendunt) restabit CAMES (ipsum scilicet *כָּמֶס Camus*, quod *Deut. XXXII. 24. Reconditum, Latens*, sive *Clusum* significat) cujus interpretatio est CLVSIVM. Hinc Latino LATII vocabulo praecessit antiquius alterum originationis Hebraicae, nimirum CAMESENE, cujus, uti vidimus, vox LATIVM est mera interpretatio. Nomen hoc CAMESENE servavit nobis Macrobius in I. Sat. 7. Porro cur *Clusina* regia ab recondendo nomen inveniit, spero me alibi dicturum. Nam vereor, ne quemquam heic sermone longiore delassem.

CORTONAM Tuscorum primitus metropolim fortassis existisse, conjici ex iis potest, quae de ea narrant Herodotus, & alii apud Dionysium. At Stephano certe ea urbs diferte *Τυρρηνίας μητρόπολις* (*Tyrrheniae metropolis*) appellatur; quem vide in *Κρότων*. Ab ea est causa, quod cum HADRIA, PERVSIA, aliaque loca, de quibus supra dictum fuit, *vici* aut *pagi* significationem haberent, quia revera initio pagi sine muris fuissent; *Cortona*, quae aut metropolis, aut certe primaria erat, VRBS κατ' ἐξοχήν vocabatur. Nam Chaldaice קָרְתָּא *Karta*, urbem significat; quod vocabulum etiam post primam litteram adsciscit *vau*, & קִרְתָּא *Kurta* scribitur, unde Graeci *Cortonae* primam syllabam saepe cum V scribebant, de quo vide Stephanum in *Κυρτώνιος*. Ergo pronunciatione Syra, quorum est A in V mutare *Κύρτων* initio dicebatur, postmodum producto vocabulo *Cortona* passim est appellata. Sane quum Stephanus in *Κρότων* Bruttiorum Crotonem Tyrrhenicae Crotoni (ut appellat) cognominem faciat; suspicari quis possit, etiam Bruttiam olim Etruscorum

late dominantium fuisse, ac postea a Graecis occupatam.

CORTVOSA (cujus situs ignoratur) a CORTONA deductum nomen habet, quasi si a Cortonenfibus condita fuerit. Utut est; nomen certe orientale praefert.

COSA est ab Heb. כוס *Cos*, quae vox Hebraeis Chaldaeisque *Calicem* sive *Craterem* significat. Causa appellationis ea fuit, quia urbs COSA cuidam sinui ad crateris formam concavo imminebat. Strabo: Ἔστι δ' ἐν κόλπῳ βενὸς ὑψηλὸς, ἐφ' ᾧ τὸ κτίσμα. *In sinu (Cosano) praealtus est tumulus, cui inaedificatum est id oppidum.* Hinc etiam amoenissimum hunc Campaniae sinum, qui a Miseno ad Minervae promontorium in rotundum protenditur, olim a Tuscis Campanis nihilominus COSAM appellatum fuisse auguror: cujus deinde nominis apud accolae Graecorum colonos Graeca tantum interpretatio superfuit; nam Κρατῆρα (abolito, ut opinor, COSAE nomine) nuncuparunt. Strabo lib. V. Καλῆσι δ' αὐτὸν ΚΡΑΤΗΡΑ, ἀπὸ τῆ Μισηνῆ μέχρι τῆ Ἀθηναίων δυοῖν ἀκρωτηρίοις κολπόμενον. *Quem appellant CRATEREM, quippe inter duo promontoria Misenum Minervaeque sinuatum.* Est & in Stephani Epitoma ΚΟΣΙΑΝΑ Φρύριον Παλαιστίνης . . . ἐν τῇ παραλίῃ τῆς Συρίας i. e. *COSIANA castellum Palaestinae . . . in Syriae litore*; cujus Characem auctorem laudat. An is quoque locus sinui adhaeserit in calicis formam excavato, indeque nomen traxerit, etsi est verisimile, tamen sine auctore praestare non audeo. Quid COS insula? an indidem nomen habuit? nam certe & Ceramico sinui objacebat (vide Plinium) ipsa interim nonnihil falcata, etiam portu sinuoso fruebatur. An cum Straboni εὐκαρπὸς πᾶσα, οἶνω δ' ἀρίστη (tota feras, generosi vini maxime) dicatur; a vini ubertate & praestantia CALICIS nomen apud Phoenicas obtinuit, quae antea *Merope* aut *Meropis* diceretur? EBA. Vide ABAE.

FAESVLAE positu suo satis etymon vel me tacente demonstrant: nam pronis Apennini radicibus impositae, totis Apenninis jugis a Gallia togata determinantur. Est enim פצל *Pbasal*, quod Hebraice quidem est *decorticare*; at usu

Chal.

Chaldaico etiam *findere* significat ; & Arabice est *separare* , *discernere*. Posset etiam deduci ab פסל *phasal* , cum Samech in radice altera , ex quo est פסילים *phesilim* , *sculptilia* , sive *latomiae* , modo tamen historia , aut monumenta , quae locus ipse praebeat , conspirent. Confer dicta Diatr. VIII. §. 2. in ANCARIA Faesulanorum Dea.

FALISCI sunt cives urbis ejus , quae FALERII (pro FALESII , opinor : nam Tuscos *ῥωταλίζειν* i. e. R littera nimis licenter uti notissimum est) aut *Aequum-Faliscum* vocabantur. Mitto heic de conditoribus dicere , quos Argivos volunt . Sed quisquis condiderit , certe urbs erat Iliaca clade facile antiquior , a Pelasgis Etruscisque habitata , & inter XII. primarias annumerata . Faliscos autem cognomento AEQVOS fuisse appellatos , ajunt . Virg. lib. VII. AEQVOSQVE FALISCOS . Silius lib. VII. AEQUIQVE FALISCI . Ac ne quis putet *Faliscos* non cognomento , sed per epitheton AEQVOS fuisse nuncupatos , vetat Strabo , qui lib. V. p. 226. oppidum ipsum ab aliquibus Αἶκῶν Φαλίσκων i. e. *Aequum--Faliscum* (quemadmodum is locus a doctissimis viris est restitutus) fuisse appellatum dicit . Si oppidum sic vocabatur , oppidani *Aequi-Falisci* integro nomine audiebant . In his autem compositis locorum Tuscorum appellationibus , ex Latino uno , Tuscanico altero vocabulo conflatis , observavi , tantumdem significationis utrique inesse , si ex suae quodque linguae rationibus explices . Sic *Fossae Philistinae* sunt duo ejusdem rei vocabula . Sic *Vada Sabatia* , *Clusium Camers* ; adhaec in Umbria *Interamnates Nabartes* , & si qua sunt alia sive jam in superioribus explanata , sive in sequentibus exponenda , in quibus quantum pars prior Latine valet , tantum posterior Etrusca i. e. orientali dialecto . Age experiamur , num ea observatio etiam in *Aequi-Faliscis* vera deprehendatur . Prorsus vera . Nam oppidani FALISCI , & urbs FALESII (etsi ex Tuscanico Rhotacismo FALERII : quae consonans etiam in gente *Valeria* alternavit ; quae & olim VALESIA sive FALESIA , (credo quod domo Falisca fuerit) & postea VALERIA dicta fuit) ergo FALISCI & FALESII sunt ab

Heb. פֶּלֶס *Phalles* (nam tantum in forma Piel reperitur) i. e. *aequare, dirigere, ad amissim exigere, trutinari*; ac ferme ad *vias* sive *semitas* refertur, sed sensu metaphorico, quo *viae hominis* in Scripturis mores designant, ita ut *aequare vias* sit mores ad rectum componere. Ab eo verbo fit פֶּלֶס *pheles*, quod *trutinam, stateram, libram* significat. Jam vero quaerentibus, cur illi, de quibus loquimur, *AEQVI* audierint, sic Servius jampridem respondit ad citatum Virgilii locum. *AEQVOS* dicit, idest *justos*, quia *populus Romanus, missis decem viris, ab ipsis jura fecialia* (etsi idem ad Aen. X. itemque Livius, ab *Aequanis*, sive *Aequiculis* sumpta haec tradit: sed Dionysius Faliscis favet) & *nonnulla supplementa XII. Tabularum accepit*. Quod non est intelligendum, quasi tum primum ab *aequitate* Falisci cognomen adepti fuerint, qui jampridem antea *Falisci*, quod tantumdem est, dicebantur; sed quia jurisprudentiae studio is *populus* jam olim florebat, a qua & nomen obtinuit. Quid si narratio de juribus inde acceptis *AEQVORVM* nomini superstructa fuit? Et de *Aequiculis*, aut *Aequorum* gente similis prorsus fama eam suspicionem auget, quos non est verisimile nullum aliud habuisse nomen, quam quod postea ob traditum jus feciale Romanis adepti essent. Sane & juris prudentiae gloriam Faliscis non eripio; sic & illud fieri potuit, ut is *populus* geometricis studiis inclaruerit, ac *trutinam, pondera, amissim, regulam, ceteraque* hujus generis instrumenta, ac rationes tum ad ponderandum, tum ad *vias aequandas*, & opera exstruenda, Italos docuerint; quae antea in oriente didicissent. Verum prius etymon ab *aequitate* morali tractum veterum auctoritate fulcitur. Vtut est: illud certissimum est, quod *FALISCI* Hebraice valent id ipsum, quod *AEQVI* Latine significant.

FELSINA, & *BONONIA*. Locus hic expostulare videtur, ut fidem, quam supra dedi in fine *Diatribae II.* jam liberem, de vero *FELSINAE* etymo, cui Latinum *BONONIAE* nomen ad unguem respondeat; nam & heic perbelle quadrant, quae de *FALISCIS*, & *AEQVIS* modo dixi.

Tu-

Tuscanicum enim Felsinae vocabulum & ipsum est ab פלסין *phalles*, ejusque derivato פלס *pbeles*, cujus plurale ex Chaldaeorum more est פלסין *phelsin*, hoc est *Aequi*; cui si Latinam terminationem addas, ipsissimam habebis, quam quaerimus, *Felsinam*. Enimvero consueverunt Etrusci, quas in novis regionibus aedificabant urbes, mutuata ab celebrioribus suis civitatibus nomina iis imponere. Hinc plures variis in locis *Acerrae*, *Nucriae*, sive *Nuceriae*; atque hujusmodi nomina, quo latius patebant Tyrrhenorum fines, eo frequentiora evadebant. Atque ecce tibi, cur duae hae occurrant cognomines urbes, quarum illa *Falerii*, sive *Falesii* in Tyrrhenia ad inferum mare, haec vero *Felsina* ad superum: nam quod alterum nomen ab altero paullulum deflectat, id ex variis apud Etruscos dialectis fluxit, sive ex Latinis accolis, qui exterorum nomina pro vernaculo quisque sermone sibi accommodabant. Sed utra sit antiquior, adfirmare non ausim. At si verum sit, quod in Dissertationis initio coniciebamus, Tyrrhenos Etruriam circumpadanam primitus occupasse, prono velut alveo hinc fluat, ab *Felsin* ad *Faliscos*, sive *Falesios* id nomen traductum. Quod igitur de *Faliscorum* nomine, ac significantia diximus, id ipsum de *Felsin* adfirmes, ut sint ab *aequando* dicti; sive quod supra ceteros *aequare*, *ad amussim exigere*, *trutinari*, & reliquos geometriae, atque architectonices canonicas callerent, sive quod sensu metaphorico de morali aequitate ex sacris litteris sit accipiendum, ut modo de *Faliscis* adnotavimus. Sane quod in ceteris semper regionibus, nostra praesertim in *Felsina* evenisse videmus, ut Majorum ibi mores perennarent, quae in geometricis aequae, ac jurisprudentiae studiis supra ceteras adfurrexit Europae urbes; usque adeo ut, cum universi inter densissimas versarentur barbariei tenebras, ea ceteris ad Romanarum legum prudentiam tantam faciem praetulerit, quantam ne Beryti quidem, aut alibi in ipsa beatorum temporum luce affulxisse accepimus: quae denique nostris temporibus *Prosperum Lambertinium* in lucem edidit, ab generis splendore, & omni scientiarum, praesertim jurisprudentiae

pe-

penore celeberrimum, quam ille in difficilioribus Romanae Ecclesiae negotiis explicandis summa cum laude adhibuit: quem ad supremum Apostolatus apicem Deus ipse, porrecta quasi dextera, cum nuperrime evexerit, vexillum ad bene sperandum de litteris, moribus, atque integra subditarum gentium beatitate extulisse videtur: tanto enim Pontifice, ipsam sub Leonibus, ac Gregoriis & nomine, & rebus vere magnis felicitatem non invidemus. In tanti igitur Principis obsequium ab morali potius aequitate, quae ex legibus est, *Felsinae* nomen deducamus.

Et Latinum quidem BONONIAE vocabulum, quod deducta illuc colonia, per antiqui nominis interpretamentum ei indiderunt Romani, nihil certe cum amussi, & regula commune habet; sed aequitatem significat, quam boni mores legibus, ut lineae amussis conciliat. Atque heic advertere praestat in veteri Latio (cujus linguam leges prae ceteris tenacius servarunt) BONVS, & AEQVVS prorsus esse synonyma. Hinc innumerae judiciales formulae, in quibus *Aequum*, & *Bonum*, sive *Bonum*, & *Aequum*, aut denique ἀποῦδέτως *Aequum-Bonum*, *Bonum-Aequum* coalescunt; ita etiam apud Tullium, ac Leges *Aequius-Melius*, & *Melius-Aequius*; ut nullus dubitandi remaneat locus, apud Veteres Romanos (quibus in more fuit in formulis synonyma plerumque adjungere, ut *jus-fasque*, *felix-faustumque*, *sciens-prudensque*, *volens-lubensque*, aliaque sexcenta) tantumdem esse *Bonum*, ac *Aequum*. Habes igitur, cur unum idemque nomen Latini in *Faliscis Aequos* verterint, in *Felsina* vero *Bononiam*.

At vero inquires, in primoribus *Bononiae* syllabis *Boni* quidem vocabulum in oculos incurrere: at undenam reliquum derivabimus ONIA? Sed facile respondetur, postremum illud ONIA quamdam fuisse analogiam, qua Itali homines, Etruscis praesertim in locis, Urbium nomina terminare consueverunt. Hinc apud Suetonium in Vespasiano c. 14. cum hic interdicta sibi aula sub Nerone, ab quodam ex officio admissionis trepidus quaereret, quidnam ageret, aut quo abiret: ille simul expellens, abire *Morboniam* jusserat, hoc est in *Mor-*

bi

bi urbem. Ac tota quidem discrii vis, ut supra dixi, in ea terminatione est ONIA, quam in Urbium nominibus adhibebant; ut quaerenti Vespasiano, quonam abiret, perbelle collineat fictae ejus urbis enunciatio. Sic & sequiori aevo nupera *Manfredi urbs*, *Manfredonia* est appellata. Sed ad Transiberinae Etruriae loca jam redeamus.

FERONIAE LVCVS. Vide infra *Diatr.* VIII. ubi de aliquot Tuscorum Deorum nominibus.

FESCENNIA Plinio est, quae Halicarnassensi Φαρκένιον, ut & Servio FESCENNIVM non alia re magis, quam nuptiali carmine, cui *Fescennino* nomen, infame. Sed Fescennina licentia temporum posteriorum fuit: nam primitus hilaritate tenus stabat, quantum quidem ex Horatio & aliis conjici potest. Nunc in nominis origine nihil plane turpiculumprehenditur. Nam certe primores tres FESCENNIAE urbis consonae (nam N quod sequitur, servile est) sunt ex Heb. פֶּצַח *phasach*, quod & *cantare* & *in hilarem vocem prorumpere*, & *jubilare*, & *laetari*, atque omnino *laeta canera* significat. Ceterum Servius sicuti in eo est hallucinatus, quod Fescennium Campaniae tribuit, sic & in hoc, quod Fescenninos ab Atheniensibus ortos dicit; nisi vero Atheniensium nomine eos Tyrrhenos intelligit, qui ex Thucydide lib. IV. *olim Athenas incoluerunt*: τῶν . . . Ἀθηνας Τυρρηνῶν οἰκησάντων. Accedit, quod tam clara ex Hebraeo Fescennini nominis originario ceterorum Tyrrhenicorum nominum ingenio non abhorret.

FLORENTIA, quae nunc & Etruriae metropolis, ac principum Italiae urbium nulli secunda, & quod nomen ipsum declarat, florentissima; olim modicum municipium fuit, nec in antiquioribus historiis memoratum. Ejus meminit Florus III. 21. ubi de Bello Syllano, Tacitus Annal. I. 74. Frontinus, qui & Coloniam eo deductam testatur. Atqui jam tum, cum Municipii jure frui coepit; jam tum, inquam, nomen ei mutatum ab Romanis pro sua consuetudine arbitror, ut qui antea Tusco nomine FLVENTINI (seu potius *Fruentini*) dicerentur, postea appellati sint FLORENTI-

TINI: quod nomen tantumdem valere mox demonstrabitur. Nunc ante omnia *Fluentinorum* nomen est constabiliendum. Ejus meminit Desiderii Regis decretum apud Grut. pag. 220. PALANTES FLVENTINOS COLLEGIMVS. Ob id autem posterioris aetatis testimonium ante omnia protulimus, quod cum sit sculptum in durabili materia, non potuit a librariis interpolari. Ceterum ex eo monumento comprobatur Plinii III. 5. scriptura, apud quem legitur, *Fluentini praefluentis Arno adpositi*, ut in plerisque scriptis, itemque editis reperisse se testatur Harduinus, quum interim in solo Chifflet. & Paris. legeretur *Florentini*. Sic etiam apud Florum III. 21. nunc quidem ex Palatin. & Vineri MSS. restitutum est FLORENTIA; at olim non in scriptis tantum, sed & editis legebatur FLVENTIA. Nunc ea nomina non significatu, sed tantum dialecto differre, demonstrandum est. Ab Hebraeo verbo פרה *pharah* (sive quia Chaldaei cum Sheva initiali scribunt *phrab*) quod apud LXX. vix unquam aliter, quam *florere* est, fiebat *Fruentia*. Sed in eo nomine R in L mutatum fuit, sive quod ea elementa passim alternent, sive ut videretur ea urbs a *Fluo* dicta; quippe erant, ut ait Plinius, *Fluentini praefluentis Arno adpositi*, a quo videtur ille ex Tusci sermonis inopia, falsum etymon tradidisse. Ergo quae primitus *Fruentia*, eadem postmodum ex falsa etymologia *Fluentia* est appellata. Nam ejus latinum nomen FLORENTIA facile ostendit non a *Fluo*, sed ab orientali *florendi* verbo ei urbi Tuscum olim nomen fuisse; hoc est FRVENTIAM (a *phrab*, sive participio passivo *fruab*) non autem *Fluentiam* olim a Tuscis fuisse appellatam.

Antequam hinc abeo sciendum est, tum in Etruria circumpadana suam fuisse *Florentiam* (quam Peutingeri Tabula mediam ponit inter Placentiam Fidentiamque) tum etiam in Notitia Imperii in vicinia Pannoniae poni quandam aliam *Florentiam*, ubi *Praefectus classis Istrinae* fuerit. Et scitum est utraque in regione olim *Tuscos* habitasse; quo minus mirandum, si eadem nomina locis diversis imposuerint.

HERBANVM Plinii idem esse, ac Procopii *Urbiven-*
tum

tum (hodie *Orvieto*) jam ferme inter viros eruditos convenit . Sane Οὐρβιβεντός *Urbiventus* a Procopio in Gothicorum II. ita describitur, ut in colle undique praerupto ac natura munitissimo, uno tantum aditu, eoque difficillimo ac praecipiti pervius, satis solo positu inexpugnabilis fuerit. An ergo est HERBANVM ab Arab. הרב *haraba*, *fugere*, cujus derivata *confugium* notant? nam certe *confugii* causa illic conditores initio confederunt. Posset & ab Heb. הרב, *barreb*, *siccus*, & חרבה *haraba*, *siccitas*, aut ὁλογραμμώτης a Chaldaeo חרבונה *barbona*, *siccitas* derivari; si modo nos oppidani siccitatem ejus collis docere possint. Postremo & Heb. ערב *berreb* *promiscuum vulgus*, & Chaldaicum ערבובין (quomodo Elias Cant. I. 12. legit) *barbubin*, *promiscuas turbas* significat; ut & Syriacum עירוב *birub* est *mixtio*: quae omnia sunt ab Hebraeo verbo ערב *arab*, *miscere*. Nam aliquid incidisse videtur, cur in locum natura sua munitissimum permixta ex pluribus Etrusciae populis colluvies receptum habuerit. Id si sequimur; HERBANVM Graece interpretari possis παμφυλίαν. Ceterum in HERBANVM littera N servilis est; reliquum Latinae desinentiae est tribuendum.

HORTANVM Plinii est, quod a Paulo Diac. & Anastasio Biblioth. HORTA nuncupatum reperitur, quod nomen ad Naris Tiberisque confluentes adhuc servat. Id vero vocabulum potest quidem a Chald. ארית *arit* & אריתא *arita*, quod *stagnum*, *fluviumque* designat, derivari: sed multo aptius ac verisimilius a verbo Heb. ערה *bara* deducetur, quod inter cetera est *effundere*, quia ibi Nar in Tiberim effunditur, aut quia uterque exiens agros Hortanos inundat: aut postremo quia idem hoc verbum in forma Hithpaël significat *virescere* aut *humectari*, & Is. XIX. 7. ערות *barot* sunt *gramineta*. Hoc si sequimur; vides ut HORTAE nomine Hebraice exposito *soli palustris* indoles, insuper & *laeta pascua* designantur. Ex quo etiam intelliges HORTI vocabulum (ut & χορτος apud Graecos) ab Hebraeo per Etruscos in Latium manasse. Nec te conturbet, quod in verbo

חָרָה *bara*, quod modo produximus, desit consona T, quae in HORTA reperitur: nam vel qui Hebraica vix degustarunt, non ignorant, a verbis in fine quiescentibus facile, ubi ventum est ad derivanda nomina, T in fine assumi more Chaldaico; hinc ab חָרָה *bara* fiet חֲרָה *Horta* ipsum, de quo quaerimus.

IGILIVM & OGLASA insulae sunt ad oram Etruriae. Fortassis utraque a *rotunditate* nomen habuerunt. עגול *agol* significat *Rotundum*; a quo multa derivantur, quae rotunditatis notionem consertam habent. Ergo haec nomina sunt Cycladum synonyma.

ILVA. Vide in sequente Diatriba, ubi de *Volaterris*, *Populonia*, *Ilva*.

LVNA Tusco sermone videtur significasse *mansionem* (a לון *lun* scilicet quod est *manere*, *pernoctare*) nam primitivae locorum appellationes γενικαὶ (*generales*) erant: id quod ex pluribus jam allatis exemplis, aliisque adhuc depro- mendis licet animadvertere. At Graeci hoc nomen interpre- tando Σελήνην appellarunt. Servius quoque a *lunari* portus figura videtur & urbis *Lunae* nomen derivasse. Id quidem a posteriorum nominum consuetudine non est alienum, qui lo- corum peregrina nomina ex Graeco Latinove sermone expo- nere consueverunt. Verum age ab *Lunae* astro urbs illa no- men petierit. Id si est; cedo, ecquod antiquius nomen E- truscum *Lunae* vocabulo respondebat, cuius LVNA interpre- tatio fuit? Nullum certe proditur. Verum quid multis opus est? Antiquum oppidi nomen non aliud, quam LVNAM, idque Etruscum non Latinum fuisse, ex nummis colligo qua- tuor, quos Dempsterus tab. LXI. protulit: quos nemo dum, quod equidem sciam, ad *Lunam* retulit. In eo, qui est ma- ximi moduli, ex una parte est rota jacens, (quid haec si- gnificet, vide infra in VADIMONIS) quamquam ea heic possit rotunditatem portus *Lunae*, non minus ac *Vadimonis*, notare cum inscriptione Etrusca, quae LVN (ipsum oppidi nomen) reddit; ex altera vero est *anchora*, portus tanti (de quo magnifice Strabo loquitur) symbolum. In tribus aliis

aliis hinc equidem eadem est anchora cum duabus litteris Etruscis, quae LV efficiunt; illinc *rana* insculpitur. Quaeseres fortasse quid rana in his nummis faciat? An, quia in Pisanorum aquis calidis *ranae* incolae (de quibus Plinius II. 103.) inter admiranda numerabantur; id dignum fuit, quod Etruscorum nummis insculperetur? Et forsan Lunenses eo symbolo indicare voluerunt, se cum Pisanis (in quorum aquis calidis *ranae* miraculo erant) aliquid commune habuisse. Quod quale sit, Servius ad X. 179. obscure tangit; nec enim plane se explicat. *Alii*, inquit, *incolas ejus oppidi* (Pisani) *Teutas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea PISAS Lydi lingua sua Lunarem portum significare dixerunt; quare huic urbi a portu Lunae nomen impressum.* Supra ex Catone retulerat, Pisas ab Etrusco Tarchonte conditas. Sed Pisas haec a Graecis conditas alii malunt; quam opinionem juvat, quod Pisis ad *Alpheum* sunt cognomines. Postremo *πίρος & πλωα* sunt loca humecta & rigua, in quibus ranae gignuntur. Vide infra in PISAE.

MARTAM amnem, cujuscumque significationis sit, nomen orientale esse omnes vident. De significato tamen vide infra in VOLSINII.

MATRINI VICVS Tabulae itinerariae est, qui hodie vulgo *Vico* dicitur. Is lacui adhaeret, qui ab eo *Lago di Vico* appellatur. Ad MATRINI vocem quod attinet, est a מטר *matar*, *pluere, destillare*, quia apud Matrinum aquulae, opinor, in lacum distillabant. Fit & ab Heb. נטר *natar*, *custodire*, vocabulum Chaldaicum מטרא *Matra* (quod Hebraeis est una syllaba longius *Mattara*) quod *custodiam, carcerem, vigilias* significat. Sed quo id pacto MATRINO conveniat, lux nulla ex historia. Est & verbum Chaldaicum נתר *netar*, *decidere*, quod de marcidis dicitur; a quo ἀναλογικῶς formari possit מתרא *matra* i. e. *deciduum* quidvis. At Syris מתרא *matra*, *cadum* significat. Nos primum etymon tamdiu sequemur, donec accolae ex loci indole aut antiquitate probabiliora deprompserint.

MVLVIVS *pons*, qui & MILVIVS, est a radice Heb.

מלא *male*; (ex qua plura derivantur nomina in orientis linguas, quae *plenitudinem* aut *inundationem* designant, proxime ad MVLVIVM accedentia) circa quem pontem Tiberis, quia angustiozem alveum habet, *plenior* fuit, ac facile extra ripas exiens agros inundat. Sic in Syro N. T. מוליא *mulaja* & מליוחא *maljura*, *plenitudinem* designant: ibidem quoque מלאה *melea* est *inundatio*.

NEPET sive NEPETE est ipsum Heb. נפץ *nepes* (nam Tfade haud raro per T redditur, ut in TYRVS) quod & διασποράν (*dispersionem*) cuiusmodi plures Tyrrhenis acciderunt, notat, & praeterea *fulgetrum*, quippe dispergens; qua notione Fs. XXX. 30. usurpari creditur. Posterius si sequimur; necesse fuerit, Nepesinos fulgurali scientia praecelluisse; & NEPESINVM (qui Hebraice dici posset נפצי *Nepfi*) tantumdem esse quod HARVSPEX FVLGVRIATOR, ut Pisarenensis marmoris apud Fabrettum pag. 696. voce utar. Ea quidem inscriptio bilinguis est; ac duabus, quas dixi, Latinis vocibus respondent Etruscae duae TRVT-NeFeT FuRQuNTAC, quasi dicas *strufertarius fulguriator*: de qua inscriptione alibi plura diximus, ubi τό TRVTNeFeT compositum esse ex duabus vocibus demonstravimus, ex TRVT scilicet quod *struem* significat, & NEFET, quod sive est ab eo quod diximus נפץ *nepes*, sive ab alia radice, quod *agitationem* rituales rei oblatae significat. Ut ut est, videntur Nepesini prae ceteris *Strufertarii fulguriatores* fuisse. Nunc illud investigare praestabit, cur a NEPETE non NEPETINVS (nam NAPETINEI apud Grut. 199. 1. ex Strabonis *Napitia* derivari putantur, hodie *Lo Pizzo* in Brutiis) sed NEPESINVS derivetur. Atqui hoc certe indicio est, urbem NEPET a voce נפץ *nepes* potius, quam aliunde derivari; in qua quia tertia radicalis est Tfade (quod modo per T, modo per S in aliis linguis redditur) hinc nonnihil ad ευφυνίαν interfuisse olim putarunt, si illud Tfade in oppido per T, in oppidanis per S efferrent. Simile quiddam prorsus in MILETVS Μίλητος accidit, cuius gentile est Μιλήσιος MILESIVS non MILETIVS

TIVS utique ob eandem causam, quia tertia consonans erat **Tf**ade, quam in ἐθνικῷ vocabulo putarunt fore suaviorem, si per **S** redderetur, etsi in primitivo per **T** extulissent: quo crediderim a נִמְלֵט (quod in Niphal נִמְלֵט *nimlats* reperitur) *dulcescere* urbi nomen factum; sive propter naturales loci, sive peculiares gentis delicias, quibus Milesii perditae affixi erant. Tale quiddam & in **CAPVA** mysterium fuit, cuius cives non **CAPVANI**, sed **CAMPANI** erant; cuius rei alibi (Diatr. V. §. 2.) veram causam assignavimus.

OGLASA. Vide in **IGILIVM**.

OSSA ex unius Ptolemaei fide innotuit, hoc ordine recensentis. Τελαμων ἄκρον, ὅσσα ποταμῷ ἐκβολαί, Κόσσαι. *Telamon promontorium, Offae fluminis ostium, Cossae* sive *Cossae*. Sane eodem situ hodieque amniculus est, omnium, qui in Tuscia suis ostiis exeunt, minimus, qui hodieque **OSA** nuncupatur: quo merito miratur Cluverius, quid causae fuerit, eccur Ptolemaeus, tot Tusciae nobilioribus praeteritis amnibus, *Osam* tantum (rivum verius quam amnem) & *Arnum* recensuerit. Equidem hoc loco non possum pro nobili Geographo non causam dicere. *Osa* sive *Offa* etsi exiguus erat; at aquarum medica potestate pollebat; eoque merito praeferriri non debuit. Utinam id quidem ex historia possum ostendere: quod eruditi Tusci melius ex medii aut ultimi aevi monumentis, ex fama, & ex sedula observatione decreverint: quod illos etiam atque etiam rogatos volo. At nomen certe id aperte prae se fert. Chaldaeorum usitatissimum verbum est נִדֵּן *asa*, quod *mederi* & *curare* significat. Id quidem in Targumim semper, quod sciam, in Paël usurpatur, h. e. secunda littera geminata; unde est Ptolemaicum **OSSA** cum Σ gemino: at in Syro **N. T.** in Kal reperitur, & cum simplici sibilo; ut propius accedat ad hodiernum **OSA**. Similiter in proxima **COSA** scriptura alternabat; ubi idem Ptolemaeus mediam duplicavit. Ab eo, quod dixi, verbo Chaldaeis fit נִדֵּן *ase* *medicus*, & נִדֵּן *assa* נִדֵּן *assu* &c. *medicina*: at Syris (si Kamets eorum more per **O** reddas) *medicina* dicitur נִדֵּן *osuro*, & *medicus* est

est מִדְּמַן *Oſio* : quae omnia quantum ab Etrusco OSA differunt!

PASSARIS AQVAE multo sunt OSA proxime exposito feliciores, in eo certe, quod salubritatem, quam nominis notatione pollicentur, etiam apud antiquos testatam habent. In eo nomine scriptura aliquantulum in secundâ syllabâ variat, ubi Antoninus vocalem primam, Martialis vulgati libri secundam posuerunt. Equidem ab Antonini scriptura steterim; quia difficilius erat ex PASSERIS notissima dictione PASSAREM facere, quam istud (quia videbatur nomen βαρβαρικώτερον) in notae aviculae nomen commutare. Sed utramvis scriptionem sequare; plane non dubito, quin sit ex Chaldaeo פֶּשֶׁר *Pesar* quod est caleſcere, reſcere. Hinc in Bereshit Rabba sect. 6. fontes (פִּשְׁרִין *posherin*) calidi seu tepidi esse dicuntur tempore pluvio, quum contra eodem tempore aër frigidus sit. At in Targum. Eccles. II. 8. integra est locutio *Aquae posherin* i. e. tepidae. Qui locus, quia *Aquis Passaris* illustrandis mirifice ſervit, huc comportabitur, qui talis est: Et siphones qui effundebant (מֵי פִּשְׁרִי *maja posere* i. e.) aquas tepidas, Et siphones qui effundebant aquas (מֵי חֲמִימִי *hamime*) fervidas. Vides aquas *posherin* heic quidem fervidis opponi, ut ipsa *posherin* oporteat fuisse caloris tolerabilis. Nec alterius indolis *Aquas Passaris* olim fuisse crediderim. At Martialis, etsi in eo commodissimus, quod aquis hisce calorem, absque eo ignorabilem, unus veterum tribuit; tamen nollem, nimium eisdem calorem assignasset, nam FERVIDAS appellavit, quae tantum tepidae erant. Sed quid poëtae huic facias, qui versus necessitate redactus ad incitas, abusus jure, an licentia poëtica, tepida in, fervida transformavit. Poëtae locus in VI. 42. qui nostras hasce inter celebratissimas Italiae aquas calidas enumerat, is talis est:

*Nec fontes Aponi, rudes puellis;
Non mollis Sinuessæ; FERVIDIQUE
Fluctus PASSERIS; aut superbus Anxur;
Non Phocæ vada, principesque Bajæ;*

Clu-

Cluverius ejus balnei vestigia agnoscit in laevo Cassiae viae latere quatuor millibus a Viterbio, ubi nunc dicitur *Il bagno della Serpa*, ubi vetusti balnei ac juxta templi rudera conspiciuntur; qui & virorum eruditorum sui temporis opinionem refert, ex voce *Serpa* ibi *Serapidis* templum fuisse conjicientium. At equidem illud *Serpa* (modo vere *il bagno della Serpa* idem ac Passaris aquae fuerint) & antiquum esse nomen & alteram PASSARIS appellationem פסאריס fuisse auguror. Est enim *Serpa* sive a צרפ צרפ (quod est *Ignem purgare, conflare*, & est metallorum peculiare) sive potius a שרפה *Serephab*, *ustio*; unde, assumpto sub prima segol & ceteris formae constructae punctis, fieret ipsum *Serpa*. Haec de *Serpa* Etruriae. Erat & in Baetica Anae ripa *Serpa* (utique Punicum nomen, quod etiam in Hispanico nummo litteris peregrinis inscripto memini deprehendisse) quod ex utra productarum radicum sit deducendum, ex locorum contemplatione eruditi Hispani dijudicabunt: nam si juxta sunt metallorum fodinae, aut alioqui fabriles officinae fuerint, erit a צרפ; sin juxta sunt thermarum indicia, melius a שרפ deducetur.

PERVSIA. De hujus etymo dictum Datrib. II. pag. 114. fuit.

PISAS (urbem Troicis, uti volunt, temporibus antiquiorem) Graecosne Pelopidas ab Elide profectos (quod buccis crepitantibus Graeci praedicant, & ex his Latinorum plerique; in primis poëtae, nihil ad obrusam exigentes, ac popularium opinionum tenacissimi) an sive Pelasgos, sive Tyrrhenos, Liguresve condidisse ambigitur. Quae in utramque partem auctoritates produci possent, avertit plena manu Cluverius, ipse in neutram inclinatio: nam Demiterus pro Graecis stetit. Omnino (ut libere dicam, quod sentio) ubi de eo agitur, quod ad Graeciae gloriam quoquo modo pertineat, Graeciam universam suspectam habeo. Urbem in Tyrrhenia reperiabant, *Pisae* Elidis cognominem: id jam satis fuit, ut protinus a Pisaeis suis nostros Pisanos arcesserent. Accedebat vox πῖσας (de quo vide Eustathium) *locum irriguum* signi-

significans ; quae vox sicuti *Pisae* fonti & urbi Elidis nomen dedisse potuit ; sic & Pisani soli palustris ingenio convenit . Verum si de nomine PISARVM agitur ; tum urbis hujus vocabulum , tum ipsam Graecam vocem *πίσος* (quae quum priorem longam habeat , imo alicubi cum diphthongo scribatur , male a *πίω* *poto* derivatur a Graecis Grammaticis) ajo , ab Hebraeo verbo *פּוּס* *pus* (i. e. *augescere* , *exundare*) derivandam esse : in quibus verbis Vau & Jod alternant . Ab Hebraeo , inquam *פּוּס* , *pus* , sicuti PISON nomen amnis Edenici deducitur , (Scaligero iudice , qui in *de Emendatione* τὸ *פּוּס* *Pison* Gen. II. 11. interpretatur *πλημμύραν* i. e. *restagnationem*) sic & Graecum *πίσος* (i. e. *locus humectus*) & PISANAE urbis nomen descendit . Habes , unde PISAE sic dictae fuerint , optime ex Hebraeo sermone doceri ; ac PISAS tantumdem esse , quod *palustres* , sive *irriguas* . Nunc quando unicam rationculam ab *ὀμωνυμία* petitam de Graecorum manibus eripui : videamus ecqua Graecarum appellationum vestigia in Pisana regione Graeci , si Pisas hî condidissent , reliquerunt : nulla certe reperio . Ac sane duô flumina *Arnum* & *Ausarem* , ad quorum confluentes *Pisae* erant , Hebraica esse nomina supra demonstratum fuit . Quid ergo restat , nisi ut Graeculis *οἰκίζω* (*plorare*) jussis , Pisas suis conditoribus sive Tyrrhenis , sive Pelasgis , aut saltem Liguribus , (per quos ultimos Ausar decurrebat , antequam Etruria fines ad usque Macrum protulisset) i. e. primis illis Italiae colonis asseramus ? Nec nostra vero sententia patronis caret ; quae longe graviores ostentare potest . Apud Servium ad X. 179. (cuius verba alibi corrupta , ex ultima editione Masviciana apponam) *Cato Originum I. qui PISAS tenuerint ante adventum Etruscorum , negat sibi compertum ; sed inveniri Tarchontem , Tyrrheno oriundum , postquam eorum locorum dominium ceperit , PISAS condidisse ; quum ante regionem eandem Teutones quidam , Graece loquentes , possederint* . Priora Catonis , in quibus Tarchontem conditorem facit , pulchre habent : at in posteriore narratione *Teutones* cum *Teutis* (de quibus mox Servius) confunduntur : hos autem Graece lo-

quent-

quentes Gato facit, quia Teutas cum Pelasgis (de quibus mox Halicarnassensis producet) ut opinor, eosdem fecit; adhaec falso opinatus, Pelasgos Graece locutos, qui revera peregrino sermone utebantur. Ac de difficili Catonis loco sic censeo. Ceterum, quod ante Etruscos Pelasgi Pisanam regionem tenuerint, docuit modo laudatus Halicarnassensis lib. I. ubi inter loca a Pelasgis prius possessa, deinde a Tyrrhenis per vim erepta, recensentur *Agylla*, (*Πίσσα*) *Pisa*, *Saturnia*, *Alsum*, *aliaeque*. Lycophron de Tyrrhenorum adventu dixit Εἶλον δὲ Πίσσαν . . . *Cepere Pisas*: sed utrum *Liguribus* proxime nominatis, an *Vmbris*, quos statim memorat, Tyrrheni Pisas eripuerint, ambiguum, apud me quidem certe, relinquit. Vides decantatae Pisarum a Pisacis Peloponnesiis origini duos maximae eruditionis iudiciiue scriptores, Catonem, & Graecum hominem Dionysium, adhaec & Lycophronem opponi posse; quorum tanto est gravior auctoritas, quod quum adversus urbium duarum ὁμωνυμίαν, & huic superstructam popularem opinionem depugnandum esse intelligerent, tamen in verae sententiae patrocinio non titubarunt. Ergo PISAE nihil cum Graecis commune habent: nomen vero ipsum est ex Oriente totum. Atque haec in urbis nobilissimae gratiam: quae quidem utrum recto stent talo, Pisanæ Academiae antistites lectissimi iudicent, atque in primis vir amplissimus idemque eruditissimus Bernardus Tanuccius, illius nuper Lycei, nunc hujus urbis Regnique fidus.

PISTORIVM Plinii (quod Ptolemaeo est Πισυρία, Antonino PISTORES, Tab. Peut. PISTORIS) non moror, quin Latina vox habeatur. Sed tamen Hebraicum פִּסְתָּה *pi-beta*, *linum* significat: & Tusciae linum laudat Gratius Cynege. ver. 34.

*Optima Cynophiae, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt: bonus Aeoliae de valle Sibyllae
Ferus: & aprico Tuscorum stupea campo
Messis.*

Verum non satis est ad firmandum etymon, universe Tusciam lini feracem fuisse: vellem Pistorio in primis eam fe-

Tom. II.

A a

ra-

racitatem tribui. Donec id nos eruditi Pistorienses docebunt; interim per me mora nulla erit, quin a *pistoribus* Latinum oppido nomen asseratur.

POPVLONIA unde dicatur, docebitur infra Diatr. VII. §. 2.

PYRGI. Dictum supra fuit, hanc esse Graecam interpretationem Tuscanici hujus urbis vocabuli ΤΥΡΣΙΣ (unde *Tyrsenis* nomen) quod Tuscum fuit ab Heb. טִירָה *Tirah*, quae omnia *turrim* aut *arcem* notant. Alii טִירָה a צִיר *Tur* derivant, i. e. *rupes* aut *arx*. Pyrgi, credo, interpretatio erat *Tyrrheniae*, sive *Tyrrhenes* urbis (de qua Stephanus) sive *Tyrsemi* apud Antoninum. Confer dicta in Dissertatione primaria. Et quidem Pyrgi *metropolis* Etruscorum Servio dicitur ad illud *Et Pyrgi veteres* Aen. X. 184. ubi sic notat: *Hoc castellum nobilissimum. fuit eo tempore, quo Tusci pyrraticam exercuerunt: nam illic metropolis fuit: quod postea expugnatum a Dionysio, tyranno Siciliae, dicitur.* Nunc sic censeo. Par erat, ut Tyrrheniae metropolis *Tyrrhene* diceretur. Ejus quum Dionysius potitus esset, tunc credo nomen Tuscum, quo TVRRIS notabatur, in Graecum ἰσόδυναμον mutatum fuit, ac πύργοι vocatum id oppidum deinceps fuit.

SABATIA VADA Liguriaе diversa prorsus a SABATE Etruriaе lacu erant; de quo altero mox proxime dicam. Quin & oppidum SABBATA fuit, sive proxime VADA SABATIA, sive certe (ex Holstenii opinione, qui VADA SABATIA in loco dicto nunc *Vadi*, at oppidum ubi nunc *Savona* fuisse dicit: de quo videantur hinc Cluverii, illinc Holstenii Cellariiue concertationes) non ultra sex milliaria ab VADIS illis disjunctum. Vtut est; sive oppidum paludi, sive haec oppido nomen commune fecerit oportet. Prius tueretur Cluverius, hac ratione fretus, quia VADA SABATIA nomen est derivativum, utique a primitivo vicini oppidi deductum. At equidem video Straboni paludem nihilo minus Σάβατα appellatam (vide locum) ex quo Cluverii ratio ruit. Omnino autem quum millies occurrant in geographicis
lacus

lacus aut amnes urbibus cognomines; ut plurimum (nisi vero aliud alicubi ratio peculiaris suadeat) oppida potius ab amnibus lacubusve, utpote antiquioribus, nomina accepisse, quam contra, persuasum habeo. Ergo palus ista ante oppidi cognominis exstructionem, sive a Tuscis (quorum olim imperium Livius Alpibus & Freto terminat) sive a Liguribus, uno ex antiquissimis Italiae populis, SABATA aut (ut alicubi legitur) SABBATA appellata fuerunt; cui deinde oppidum ejusdem nominis, uti fit, juxta est aedificatum. At Romani, ubi haec loca in potestatem redegerunt, offensi peregrino nomine, more suo interpretamentum antiquo vocabulo substituerunt, ac VADA absolute nuncuparunt; uti constat ex Bruti epistolis, bis VADA appellantis, atque haec subjungentis: *Jacet* (is locus) *inter Apenninum & Alpes, impedirissimus ad iter faciendum*, nimirum propter τὰ τεράγη, (*palustre solum*) quo vocabulo *Vada* interpretatur Strabo. Postremo ut haec VADA a sexcentis aliis distinguerent, (nam molestum erat modo recitatam Bruti περίφραση tertio quoque verbo adjungere) primum VADA SABATORVM (ut semel est apud Strabonem τὰ καλούμενα Σαβάτων Ουάδα) dixerunt, ac postremo VADA SABATIA, quod in Plinio, in Capitolini Pertinace, & in Itinerariis occurrit. Nunc VADA tantumdem esse, quod SABATIA liquidum est; quia שבת *Sabat* est *quiescere*; quod est palustrium aquarum peculiare. In eundem modum, ut alibi observavimus, sunt *Fossae Philistinae*, *Curva Caesena*, *Clusium Camers* &c. in quibus vetus peregrinum nomen interpretationi Latinae, tamquam cognomentum adjungitur.

SABATE Festo & Tabulae Peutingeri dicitur lacus Etruriae (hodie *Lago di Bracciano*) qui Straboni est Σαβάτα. Nam ceteri derivativo nomine magis delectati (credo quod eos SABATE ἁλιτον offenderet) Silius *Sabatia stagna*, Columella, Frontinus, Anastasius Biblioth. *Sabatinum lacum*, Paullus I. C. *lacum Sabatenem* (nisi heic rescribendum sit *Sabate*, aut *Sabaten*) nuncuparunt. At heic quoque Cluverius turbat; cui geographo derivativum SABATINVS indi-

cio est, fuisse in ripa lacus aliquod oppidum SABATE, a quo lacus SABATINVS appelletur; cui augetur suspicio ex eo, quod in Sotionis fragmentis reperiatur, in fundo lacus urbis cujusdam fundamenta conspicua fuisse. Verum pace viri eruditissimi, praeter modo dicta in eam sententiam, quod lacus amnesque indiderint potius urbibus nomina, quam acceperint: nemo unus est qui urbem nomine SABATE memoret: postremo lacum SABATINVM dici, non magis mirari debet, quam *Urbem Romanam, Campanam, Clusinam; florem rosae*, & tot millia in eundem modum. Lacus autem, quo de agimus, SABATE ἀπὸ τῆς שבת *Sabat*, a *quiescendo* dictus fuit, non tantum quia commune est lacubus universis cessatio a cursu; verum etiam quia peculiaris erat huic stagno quies tanta, ut ὕδωρ διαυγὲς *aqua pellucida* esset, quippe nullâ fluctuatione jactata, in tantum, ut in fundo paludis templa, statuæ, aliaque urbis vestigia perspicerentur. De Judæae rivo apud Plinium, qui *Sabbatis omnibus siccabatur*, tum de Josephi amne *Sabbatico*, ac de altero nominis ejusdem flumine in Judæorum scriptis, alius erit dicendi locus.

SATVRNIA est a SATVRNVS, utrumque vero a סַטֵר *Satar*, *latere*; quod omnes jam sciunt. Itaque Saturniam Latine LATIAM possis interpretari.

SENA (hodie *Siena*) quæ videtur antiquitus SENIA fuisse dicta; si vera est scriptio quam in Plinio (III. 5. *Colonia Seniensis*) & Tacito (IV. hist. 45. *in colonia Seniensi*: mox: *Seniensium plebes*) viri docti ex MSS. restituerunt. Hoc alii ex marmorum scriptura decreverint, si qua modo hujus urbis supersunt; nam SENIA & PLEBS SENIENSIVM apud Grut. 372. 7. ad Dalmatiam pertinet. Miror autem a Dempstero numero multitudinis SENAS semper nuncupari; idque nullo auctore; imo Tabula Peutingeriana repugnante, in qua diserte adscribitur SENA (cognomine) IVLIA, a deductore scilicet. Id magis miror eidem Dempstero hanc urbem a Gallis Senonibus fuisse conditam (id quod de SENA ad Hadriam verum est ex Polybii fide, & posteriore nomine SENOGALLIA, cujus incolæ SENENSES non SENIENSES

di-

dicebantur) non aliis auctoribus , quam Jo: Saresberienſi , & Goteſfr. Viterbienſi , ad rem antiquam teſtandam facile inidoneis . Verum nolo , *ἐτυμολόγον* initio profeſſus , ſenſim in geographorum fines irrupere . SENA ſive SENIA poſſit a Chaldaeo *סִנָּה* *Sin* ſive *Sen* derivari , quod *lurum* ſignificat: unde eſt Chaldaeis *סִנָּה* *Sena* , *calceus* , quia a caeno defendit: id ſi placeat , poſſis hanc urbem Latine LVTETIAM interpretari . Sin ea urbs (maxime quum inter colles ſita fuerit) caenoſa non erat: videndum an non a gregibus ovium & caprarum (in quibus olim opes fuiſſe poſitas , ſcitiffimum eſt) nomen oppido quaefitum fuerit . Nam Heb. *סִנָּה* *Son* (cujus altera littera in Jod commutari ex analogia potuit , & E vocalem ante ſe adſciſcere) nomen collectivum eſt ovibus capriſque commune . Idem quoque vocabulum *μεταφορικῶς* *populum* Chaldaice ſignificat . Ac multae ex eadem radice in Hebraea & cognatis linguis voces descendunt (quae *ſtatuum* , *titulum* , *tumulum* ſepulcro impoſitum notant) quarum quaeenam urbi clariffimae ſit convenientior , Senenſis Academiae proceres , aliiſque eruditiffimi cives judicent .

SORACTE mons in agro Falifco eſt (hodie *monte di S. Silveſtro*) de cujus fonte quodam ex Varrone Plinius XXXI. 2. ſic narrat: *Sole oriente eum exundare ferventi ſimilem , aveſque , quae guſtaverint , juxta mortuas jacere* . Et II. 93. *Spiritus letales . . . alibi volucris tantum , ut Soracte* . At Servius ad XI. 585. memorat ibidem *ſpeluncam* , *halitum ex ſe peſtiferum emittentem* , adeo ut *juxta ſtantes necaret* , & exinde ortam peſtilentiam dicit . Sane Heb. *סִרַּח* *Sarach* in forma Niphal eſt *putreſcere* ac *foetere* , quod verbum Chaldaeis in aliis etiam formis paſſim eſt uſitatum , ac multa ex ſe vocabula gignit , *corruptionem* aut *foetorem* notantia . Ab eo igitur verbo monti SORACTI (ſive pronunciatione Syriaca , SAVRACTI: quomodo ex Catone citat Varro) nomen fuit . Nec aliud quaerendum eſt nominis etymon . Tamen , quia non peraeque omnibus eadem arridere uſu venit ; dicam quid praeterea excogitari poſſit . Quas modo dixi exhalationes , ac praeterea Plinianum fontem *ferventi ſimilem* , ex in-
teſti-

testinis montis incensionibus manasse oportuit. Accedebat lustrationis genus, quo quidam accolarum per prunas gradiebantur. Quae omnia eo nos ducunt, ut possit SORACTE derivari a שרף *Saraph*, *incendere*; mutato scilicet φ in K aut T, h. e. in C aut G, sicuti ab Aeolico Τέππος i. e. *corium* fit *Tergus*; a Νίψω *Ningo*; a Φέρω, *Gero*. Quamquam ne ista quidem litterulae mutatione indigemus; nam ex Chaldaeo שרגא *Sheraga*, *candela*, *lucerna*, fit Arabicum אשרן, quod est *Accendere*. Ergo hinc derivabitur SORAGTE, sive (quia Tuscia, & vetus Latium pro G, quo carebat, usurpabat C). SORACTE. Atque haec de SORACTIS etymo. Nunc quando lustrationis per ignem ibi usurpatae modo incidit mentio; jam pridem pluribus viris doctissimis ad Pentateuchum observatum fuit, eum morem ex Chananaeorum institutis, tantumdem in Molochi honorem factitantium ad Faliscos propagatum fuisse: qua superstitione Israëlitis pluries Deus interdixit. Itaque illustre hoc orientalium religionum apud Tuscos vestigium, quippe incurrens in oculos, nemo non vidit. Atqui cui Deo id sacrum fieret, Straboni cum ceteris non convenit; qui in Feroniae honorem id factum scripsit. Sed nihil est causae, quin uni Graeco homini Latinos plures Scriptores gravissimos praeferam, Virgilium, Silium (utrumque verbis gravissimis ritum describentes) adhaec Plinium, & Solinum, qui Apollini id sacrum peragi prodiderunt. Proderit ex omnibus Plinium huc afferre; qui VII. 2. sic scripsit: *In agro Faliscorum familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpiae: quae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soraetem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur: & ob id perpetuo Senatus consulto militiae aliorumque munerum vacationem habent.* Solinus praeter haec addit gestulationes religiosas, quibus Hirpii impune insultant ardentibus lignorum struibus. At HIRPIOS istos non aliunde arcescendos censuerim, quam ab Heb. radice רפא *rapha* h. e. *sanare*; a quo verbo, addita initio littera formatrice nominum, fiet הרפא *Hirpi* i. e. *incolumis*, ab ardore nimirum prunae: nisi *medendi* notionem Heb. verbi peculiarem malis; quia

quia Varro apud Servium ad XI. 787. quoddam *medicamentum* describit, quo plantas illi devoti tingerent ambulaturi per ignem. Quamquam a narratione Pliniana idem Servius ad XI. 785. quam diversus abit. Ibi praeter cetera hos non HIRPIOS vocat, sed HIRPINOS SORANOS (longa est fabula) i. e. *lupos Dis Patris*. Nam *Hirpi*, eodem auctore, Sabinis sunt *lupi*, quod *rappo* vivant, (nimirum pro *Tirpi*, a טרף *Taraph* scilicet i. e. *Rapere* mutato T in H; sicuti & ab eodem *Taraph*, ablato T, fit & RAPIO & ἄρπῳ five ἄρπάζω : non enim Vossio assentior, quem vide in *Rapio*) *Soranus* vero est Dis Pater. Proxime dixerat, sacrificium in eo monte Diti Patri persolvi consuevisse. Id si est: quia Dis Pater Tuscis MANTVS vocatur; an apud Etrusce ignaros is creditus est MANTIS i. e. *Vates Apollo*? Sed fabularum jam piget pudetque.

STELLATINVS ager, (ut & cognominis alter apud Etruscos Campanos, STELLATIS dictus) cultu & fertilitate uterque celebris, potest a שטל *Sbatal* derivari, quod est *plantare*. Nam in STELLATINVS, posterius T adscititium est ac fervile.

SVTRIVM an est a שטר *Shoter* i. e. παβδύχος? fortassis enim lictores & apparitores (Tuscum id institutum erat) inde petebantur. Nisi vero a סתר *satar*, *latere*, magis libeat; quasi a *Saturno latente* nomen invenerit.

SYLVANI LVCVS. Videbis infra, ubi de diis Tuscis.

TARQVINII quidem a *Tarchone* conditore nomen habent: at *Tarchon* ipse nomen est orientis filii familiare; quod nomen, ut alibi dictum, Abrahæ pater gerebat.

TELAMO & promontorii & portus nomen est: quem portum ab Argonautis huc advectis (ex uno sociorum *Telamone*) sic appellatum tradit ex antiquorum fide Diodorus lib. 4. Fabulae. Nomen mere Tyrrhenicum fuit: nisi quod prisca nomina Graeci & Romani scriptores, uti fit, ita emolliverunt, ut in alia tunc nota nomina transfunderentur. Ex Chaldaeo Syroque verbo טלם *Telam* derivandum hoc nomen erat: quod verbum significat *opprimere*, *diripere*,
vim

vim inferre ; estque furibus , grassatoribus , piratis apprime conveniens , quod vitae genus Tyrrhenos exercuisse omnis antiquitas testificatur . Hinc טלומא *Taloma* est *oppressor* , & *Teluma* aut *Teloma* (unde Graecis τόλμα *audacia*) *oppressio* . Ergo *Telamo* tum portus , tum promontorium (quo in promontorio urbem & arcem fuisse credunt) erat ὀρμητήριον (sic Graeci appellant locum , ex quo latrones aut hostes impetum facturi prorumpunt) latronum ac piratarum : quo exercitationis genere prisca Tyrrheni maxime inclaruerunt .

TIBERIS , five *Tiberinus* , aut *Tyberis* (tot enim (1) modis dicitur) ab aliquo rege five Tusco , five Albano nomen fuisse adeptum ferme apud antiquos convenit : de quo vide quae in sequentibus adnotabuntur . Haec quum ita sint ; tamen ipsum *Tiberis* aut *Tybridis* nomen , si quidem ab orientis linguis repetas , amni quam regi convenientius esse video ; facile ut animadverti possit , potius reges illo a flumine nomen mutuatos , quam eidem imposuisse (2) . Etenim possit esse id nomen a צבה *taba* , quod est *intumescere* , quia fluminis hujus ingentes sunt inundationes . Aut vero multo verisimilius a שבר *sabar* , Chaldaice תבר *tabar* , a quo fit מתברין *mitbarin* i. e. *fluctus* , (quod pro Hebraico משברים *misbarim* , legitur in Chaldaeo Psalmi XLII. 8.) ex quo vocabulo , ablato M heemantico , reliquum est jam ipsum *Tybridis* nomen , *fluctuosum* amnem significans , quia ingens est & navigabilis . Atque haec ita demum procedunt , modo

TY.

(1) Servius sub initium libri VIII. In sacris TIBERINVS , in ποινηξία TIBERIS , in poemate TYBRIS vocatur . Idem ad VIII. 72. Sic enim invocatur in precibus : Adesto , Tiberine , cum tuis undis . Apud Dionysium Periegetem Θύβρις vocatur , ut & apud alios quosdam Graecos prosae scriptores .

(2) Accedit , quod qui ab rege Albano *Tiberino* Tiberim appellatum volunt , nae illi contra analogiae leges peccant , quae breviora nomina a longioribus per productio-

nem fieri docet ; magis enim est , ut a *Tiberi* fluvio sit rex *Tiberinus* , quam contra . Hinc Varro in IV. de L. L. (initio pag. 13. ed. Amst.) falsus , *Tiberim* non esse Latinum nomen , at quod inde derivatur *Deus Tiberinus* , hoc , quia derivatione Latina fit , vult esse Latinum . Ceterum , nemo mihi objiciat , hunc amnem etiam *Tiberinum* appellari ; nam in exemplis , quae in eam rem congerit Cluverius pag. 696. *Pater* , *Deus* , *amnis* , aut aliud simile conjungitur , aut subauditur .

TYBRIS aut TIBERIS sincerum hujus fluminis nomen fuerit.

Verum hujus amnis fuere & alia antiquiora atque eadem veriora nomina: nam praeter arcanas aut insolitas appellationes, quas nobis Servius (1) conservavit; olim & ALBVLA Latino nomine, & DEHEBRIS Tusco dicebatur. Prodeat in medium Varro in IV. de L. L. (edit. Amstel. pag. 13. initio) ubi praefatus, TIBERIS nomen non posse Latinum esse, quippe cujus caput sit extra Latium, addit: *Sed de TIBERIS nomine anceps est historia: nam & suum Etruria, & Latium suum esse credit. Fuerunt, qui a vicino regulo Vejentum Dehebri dixerint, appellatum primo DEHEBRIM. Sunt qui Tiberis priscum nomen Latinum ALBVLAM vocitatum litteris tradunt; posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit.* Audiamus porro & Servium ad illud VIII. 330.

— *Asperque immani corpore Tybris:*

A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim

Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.

Hic, inquit, Tuscorum rex fuit; qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit, & ei nomen impesuit. Mox allata etymologia ab ūspis h. e. ab injuriis & latrociniis, sic pergit. *Alii Tiberim Jani & Camefenae filium, ubi (fort. ibi) in bello periisse tradunt. Varro TIBERIM a Tiberino quodam rege Latinorum, quod ibi interierit, dictum tradit (At Varro non ex sua sententia hoc dicit; qui potius eo propendat, ut Tuscum nomen credat, quia in Etruria amnis nascitur). . . Nam quod Livius dicit, ab Albano rege Tiberino Tybrin dictum, non procedit; ideo quia etiam ante Albam Tybris (imo*

Tom. II.

B b

potius

(1) Servius ad illud Virg. VIII. de Tybri, *stringentem ripas & pin-guia culta secantem*, ait: *Radentem, imminuentem . . . adeo ut ab antiquis RVMON dictus sit, quasi ripas rum-inans & exedens: in sacris etiam SERRA dicebatur: in aliqua etiam urbis parte TERENTVM dicitur,*

eo quod ripas terat. Hoc ultimum pertinet ad campum Martium, ubi ad fluminis ripam ara quaedam sub terra latens dicebatur *Terentum*: de qua voce Diatr. IX. §. 3. dicitur, nihil enim cum flumine commune habet.

potius *Dehebris*) dictus invenitur. Sed hic Alexandrum (credo illum dicit Polyhistorum) sequitur, qui dicit Tiberinum Capeti filium venantem in hunc fluvium cecidisse, & fluvio nomen dedisse.

Ex his porro vides tria fuisse diversis temporibus hujus amnis nomina. Initio DEHEBRIS (sive a *Dehebri* rege Vejentum, sive potius contra amnis regi nomen indidit) dicebatur; at nomine Latino ALBVLA; postremo *Tybris* aut *Tiberis*. Atqui hoc ultimum nomen a *Dehebri* nihil diffidet, nisi tantum, quod D pro more Etruscorum (1) in T mutatum fuit, & duae syllabae in unam coaluerunt. Itaque duae jam relinquuntur verae appellationes, una Tyrrhenica DEHEBRIS, quae postea in *Tiberim* aut *Tybrim* degeneravit; altera Latina ALBVLA. Ac mihi quidem toto hoc opusculo saepe observatum fuit, locorum bilingues appellationes, eodem significatu praeditas reperiri; id quod in *Curva Caesena*, in *Bononia Felsina*, *Aethalia Ilva*, *Volaterris Oenarea*, & tot aliis demonstravi: in quibus Latinum aut Graecum nomen alterius Tusci merum est interpretamentum. Videamus porro quid *Dehebris* significet, & utrum ei ALBVLA respondeat. DEHEBRIS est ipsissimum Chaldaicum דֶּהָב *dehab*, quod *aurum* significat, ex Hebraeo זָבָב *zabab* significationis ejusdem, nam Chaldaei זֵינ *Zain* saepissime cum *Dalet* mutant. Ab ea est causa, quod poëtae Tiberim (2), *flavum* appellare solent, quasi perpetuo epitheto & credo πα-τρο-

(1) Sic TVTERE in nummis scribitur, quod Latinis est *Tudertum*: ut alia taceam. Illud etiam ex Etruscae linguae genio contigit, quod prima vocalis in Y transit in voce TYBRIS; amant enim illam vocalem Tusci. Ac video quosdam sic praecipere (in iis est Cluverius pag. 699. 28.) ut TYBRIS dumtaxat cum littera Pythagorica sit scribendum; at TIBERIS & TIBERINVS cum I. At vereor, ut id in scriptis codicibus perpetuo observetur. In Servio certe Masviciano,

ad fidem codicum edito, TYBERIS & TYBERINVS cum Y perpetuo scribitur. Tamen in nummis, si probe memini, TIBERIS, non TYBERIS scribitur.

(2) Virgilius: *Multa flavus Tiberinus arena*. Horatius: *Vidimus flavum Tiberim*. Idem alibi: *Flavus quam Tiberis lavit*. Ovidius in VI. Fast. *Detulerit flavis in mare Tybris aquis*. Et V. Trist. el. 1. *Quot flavas Tybris arenas*. Et in carmine ad Liviam: *Ipse pater flavus Tiberinus adhorruit undis*.

προπαδότη: nam, id cognomen ex antiqua consuetudine veniebat, quae veteres sic quoque illum vocabant. Initio autem *flavus* dictus est, quia *Dehebris aurum* significare intelligeretur. Quare errant toto caelo illi, qui *Tiberim flavum* interpretantur *turbidum* ac *lutulentum*; nam contra limpidus ac διαυγής fluere dicebatur, uti mox ostendetur. Omnino igitur τὸ *flavum* hujus fluminis ex significantia antiqui nominis DEHEBRIS ad feros Romulidas, etsi ejus appellationis causam nescientes propagatum fuit.

At vero si sic res habet: quo pacto ALBVLA Tusci DEHEBRIS interpretatio erit? quid enim *flavum* cum *albo* commune habet? Dicam quo pacto haec concilientur. *Album* haud raro *serenum*, *lucidum*, aut *pellucidum* significat, ac *turbido* opponitur. Sic *Albus notus* (Gr. λευκόνωτος) est qui a turbido distinguitur: *Albus ut obscuro detergit nubila caelo Saepe notus: albus i. e. serenus*. Sic Horatius: *Simul alba nautis Stella refulsit*: ubi Acroni *alba* exponitur *serena*. Ac multa in eundem modum (1) laudare possim. Ad haec autem & זָהָב *zahab* i. e. *aurum* pro *sudo* (2) aut *limpido* haud raro usurpatur; sicuti & apud Varronem in VI. de L. L. *Aurora . . . quod aër aurescit*. Nec aliam in partem *flavum mare* Ciceroni in IV. Acad. dicitur, quam ut sit limpidum ac minime turbidum.

His jam intellectis: vides cur ab antiquo nomine Etrusco DEHEBRIS, quod *aurum* significat, manarit, ut idem amnis & ALBVLA diceretur, & FLAVVS. Nam his omnibus nominibus non aliud significatur, quam minime turbulentum fuisse amnem, sed διαυγῇ ac limpidum; in iis certe locis, ubi DEHEBRIS appellationem primo nactus fuit, in Etruria scilicet; nam circa Romam a tanta perspicuitate degenerat. Hinc apud antiquos limpida hujus fluenti aqua ha-

B b 2

be

(1) Ovidius: *Admisso Lucifer albus equo*. Virg. in IV. Aen. *Regina in speculis ut primum albescere lucem Vidit*. Idem in I. Geor. *Flammarum longos a tergo albescere tractus*.

(2) Jobi XXXVII. 22. *Ab aquilone venit* (זָהָב *zahab*) *aurum* i. e. *sudum*; nam boreas *sudum* efficit: sic quoque Zach. IV. 12. & alibi accipiunt eandem vocem.

bebatur. Festus : *Albula Tiberis fluvius ab albo* (h. e. lim-
pido) *aquae colore*. Servius ad VIII. 332. *Albula . . anti-*
quum hoc nomen a colore habuit; Dionysius eleganter :

Θύμβρις ἐλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἄλλα βάλλει ,

Θύμβρις εὐρρείτης , ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων .

Limpidus Etruscum qua confluit in mare Tybris ,

Tybris lene fluens , late regnator aquarum .

His adde illa Virgiliana : *Fluvio Tiberinus amoenus* : & ; *Le-*
ni fluit agmine Tybris : & illud Ovidii in III. de Arte :
Nec Tuscus placida devehit amnis aqua. Eodem pertinet *Coe-*
ruleus Tiberis apud Virg. quia is color pro limpido & se-
reno fumebatur . Habes quam in partem *FLAVVS Tiberis*
sit intelligendus (nimirum non quia *lutulentus* , sed quia
limpidus & *pellucidus*) itemque cur olim *ALBVLA* κατ'
ἐρμηνείαν diceretur ; quia nimirum saepissime tantumdem est
Aureus (ut & Hebraice זָהָב *zabab*) atque *albus* color ;
uterque enim pro *sereno* , *limpido* , & *pellucido* usurpatur .

Quae supra de fluminis hujus nominibus *TYBRIS* ac
TIBERIS disputata fuere , in eam partem , uti ostenderem ,
ea nomina ab antiquiore Tusco *DEHEBRI* non dissidere ;
ea ubi jam commentatus essem , imo & perscripsissem ; ob-
tulit se mihi egregius Cluverii locus in *II. Ital. Ant.* 10. in
fine pag. 798. ubi ait : *Quod* (*DEHEBRIS*) *postea paulla-*
rim mutatum in DEBERIS & TEBERIS , ac tan-
dem TIBERIS . Quibus lectis mire sum delectatus . Accedit
quod hunc fluvium aliquando *TEBERIM* fuisse vocatum ,
Stephanus fidem facit , ab eod. Cluverio initio pag. 697.
productus . Τέβρις ποταμὸς Ἰταλίας , ἐνθα ἡ Ρώμη . . . ὡς
Ἀπολλόδορος : *TEBERIS amnis Italiae , ubi Roma est . . .*
auctore Apollodoro . Nec aliter scripsit Stephanus , quippe
quum ea vox sit inter Τεανὸν & Τέγεα , ut idem vir doctiss.
observat . Vides jam dubitari non posse , quin *Tybris* & *Ti-*
beris sint ipsissimum antiquius *DEHEBRIS* . Merito ergo
Varro augurabatur , hujus amnis , quippe in Etruria orti ,
nomen non posse non Tuscum esse : ac merito etiam pas-
sim *TVSCVS AMNIS* apud poëtas (quorum loca plena
manu

manu affert Cluverius pag. 798.) creberrima Tiberis est *πικρὴ ποταμός*.

TYRRHENE Stephani quomodo Pyrgis vide supra in PYRGI

TYRVS urbs Etruriae si qua umquam fuit, ipso suo nomine vel nulla interpretatione addita, originem Tuscorum Phoeniciam digito intento commonstrat. Quare id solum danda est opera, ut revera *Tyrus* aliqua in Tuscia fuisse doceatur. Id autem (omisso Desiderii Regis edicto, quod ad Aniana commenta Cluverius amandat) ex Martyrologiis, & actis S. Christinae Virginis, & Martyris comprobatur: de qua haec habet vetustissimum sub Hieronymi nomine Martyrologium a Florentinio editum, in quo die XXIV. Julii sic legitur: *In Tyro Civitate Natalis S. Christinae Virginis*. Quae quidem verba in antiquissimis quibusque manuscriptis deprehenduntur, teste Florentinio, ne quis forte id additamentum putet. Item Bedae codex Atrebatensis, Tornacensis, Lactienfis Christinam hoc die ponunt *in civitate Tyro*. Item Basilii menologium hoc eodem die Christinam fuisse ait *ἐκ τῆς πόλεως Τύρου, ἐκ urbe Tyro*. His adde & Rabanum. Ac ne quis forte Tyrum Phoeniciam heic intelligat, Vsuardus eodem die sic posuit: *In Italia Civitate Tyro S. Christinae Virginis &c.* Postremo ne de situ Tyri istius dubium suboriat, oportet eam circa Vulsinium lacum fuisse, quia de Christina vetus Romanum Martyrologium a Cluverio laudatum sic loquitur: *IX. Kal. Aug. lacum circa Vulsinium in Italia Christinae Virginis*. Sic etiam ex parvo Rom. Martyrologio citat Sollierius ad Vsuardum. Vbi etsi Tyrus non nominatur, at quia de Christina agitur, quae Tyri a ceteris ponitur, sequitur Tyrum circa lacum Vulsinium fuisse. Id vero ipsum disertis verbis ita expressit Ado: *Eodem die (24. Jul.) apud Italiam in Tyro, quae est circa lacum Vulsinium, Natale S. Christinae Virg.* Idem reperitur & in Vsuardi editione Lubeco-Col. (apud Sollerium ad Vsuard. 24. Jul.) in hunc modum: *In Italia civitate Cyro (Tyro) quae est circa lacum Vulsinium, S. Christinae Virg.* Eadem ferme

ferme reperiuntur & in hujus Virginis actis, quae nunc in manibus sunt. At ne quis haec satis lutulenta, & corrupta esse expostulet, ajo & in antiquioribus Actis eundem locum fuisse olim scriptum; nec enim aliunde, quam ex antiquioribus ac sincerioribus Actis in antiquissima Hieronymiana Martyrologia manasse Tyri Italicae mentionem oportuit. Nec pluribus opus est testimoniis, ut *Tyrus* urbs in Etruria adstruatur. Videantur de hac Tyro Cluverius, & Bollandistae ad 24. Julii.

At opponitur, opinor, altum de ea silentium apud quidquid est Geographorum, & ceterorum scriptorum. Quibus sic respondeo, Tyrum Tuscanicam ex iis fuisse urbibus, quae bilinguem appellationem nactae essent, cujusmodi plus viginti loca Tyrrhenica, magno Tuscarum originum bono, demonstravimus. Itaque ut inde exordiar, sicuti *Tyrus* Phoenicia cum *Tfādē* (quod per T reddi solet) scribitur, sic etiam & Tyrrhenica *Tyrus* scribebatur. Quo autem primum tempore Tyrus ista in Romanorum manus venit (sive id ut existimo, an. CCCCLXXIII. quando de Vulfiniensibus triumphatum Fasti Capitolini docent, evenerit, sive alias acciderit; de quo mitto dicere) in Tyri notionem inquisitum fuit, ut latino nomine ejusdem significationis ea urbs appellaretur. Ac potuisset quidem id nomen a verbo צור *tur* hebraico derivari. Verum quia Tyrrheni, ut alibi ostendam, Chaldaicam, Syramque dialectum suo sermone referebant, maluerunt nomen urbis a Chaldaeo, Syroque verbo צרה *rerah* derivare; quod verbum apud Targumistas, & saepius apud Veteris Novique Testamenti Syrum interpretem significat *excindere*, & *avellere*. Hinc Tyrum urbem Romani eam latine appellaturi, *Vulfinios*, aut *Volsinios* dixerunt a verbo *vello*, cujus supinum est *vulsum*, aut *volsum*. At ubi semel nomen Romani mutarunt, eodem semper nomine illam sibi appellandam putarunt, sicuti iidem *Bononiam* non *Felsinam* dicere malebant. Atque ea causa est, cur nunquam apud scriptores *Tyri* nomen compareat, quippe apud Romanos jamdiu defuetum. At interim incolae vetustas appellatio-

tiones vernaculo sermone ipsi apud se usurpabant; ex quo factum reor, ut *Tyri* nomen nonnisi apud Lacus Vulsiniensis accolae perduraverit, idque adeo usque ad id tempus, quo B. Christina passa fuit. Passiones autem Martyrum quia plerumque sermone ἰδιωματικῶ ac plebeio perscribebantur; ab ea est causa, ut *Tyri* nomen pro *Vulsiniis* in Christinae Actis, & exinde in Martyrologiis legeretur. Maneat ergo *Tyrum*, & *Vulsinios* duas fuisse urbis unius appellationes, non significatu, sed idiomate discretas. Accedit, quod S. Christinae corpus hodieum Vulsiniis colitur, si Cluverio credimus; qui (etsi de Tyro hac quasi commentitia parum aequae sentiat) vel sic tamen ex S. Christinae reliquiis in Vulsiniensi Vrbe asservatis conjici posse ait, *Tyrum*, si qua modo fuit, eandem fuisse ac *Vulsinios*. Atqui profecto nominum ταυτότης a me demonstrata, *Tyrum* non diversam a Vulsiniis fuisse evincit.

VADIMONIS Lacus. haud inepte potest a בַּד *Vad* i. e. *linum* derivari, quia ibi fort. linum macerabatur; aut quia כְּדִים *Vaddim* i. e. sive *lina*, sive *lintea* ibi poliebantur & candorem acquirebant: maxime quia has aquas fuisse sulphureas Plinius VIII. ep. 20. testatur; qua etiam, ut opinor, de causa, in eo qui apud nos *Agnani lacus* dicitur, non expers vicini sulphuris, lina quam optimum candorem assequuntur. Sed tamen, ut primitus in lacu Vadimonis lina macerata dem, & inde nomen inditum lacui; at aevo certe junioris Plinii *sacer* is lacus erat, eoque intactus navibus, ac multo magis, opinor, id genus opificiis. Adhaec fuit בַּד *Vad* etiam *torcularis* aut *trapeti* vocabulum; & apud Talmudicos בּוּדִידָה *budida* est *lacus*, in quem oleum immittitur. Sed nihil haec ad *Vadimonem*. Postremo בַּד *Vad*, *solum* sive *solitarium* significat; potuitque apud Tuscos eorum lacuum fuisse nomen, qui *solitarii* essent, i. e. nullo intermedio flumine, nulloque aspectabili emissario, cum mari aliove amne aut stagno quidquam commune haberent; cuiusmodi certe *Vadimonis* lacus erat. Nam etsi ibid. Plinius dixit: *Idem lacus in flumen egeritur*: tamen addidit: *quod ubi se paullisper oculis dedit, species mergitur*: nullum ut commercium

cium hujus lacus cum alio aquarum conceptaculo viferetur :
 At inquires, prima tantum syllaba VAD *solitarium* significat:
 reliquum IMONIS quid heic facit? Primum omnium demen-
 dum est prius I, quod Polybius (antiquissimus omnium qui
 lacum hunc nominaverint) rejecit, OADMONA appellans.
 Nec illud te turbet, quod Polybianum vocis initium diver-
 sum est: nam apud antiquos compendio scriptionis O solita-
 rium ponebatur pro OY (ut in nummis ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ
 pro Στρακυσίων , & alia sexcenta) quare Οάδμωνα idem
 est quod Ουάδμωνα i. e. *Vadmona* . At Latini postea eupho-
 niae causa infiderunt vocalem I. Quis porro rectus casus fue-
 rit, dubitatur. Nam quod Plinius ibidem ait: *ostenditur sub-*
jacens lacus, nomine Vadimonis , potest nihilo minus patrius
 casus esse, ac apud Livium *lacum Vadimonis* ; nisi vero fuisse
 ἀκλιτον suspiceris . Verum si rectum VADMON fuerit ,
 si VADMONIS, si non inclinaretur: certe posterior vo-
 cabuli pars MON, si Latina terminatione MONIS , tan-
 tumdem Graece significat quod pars prior VAD ; nec aliud
 MON illud fuit quam Tuscae vocis VAD Graecum interpre-
 tamentum (ex Μόνος scil. *solitarius*) ab aliqua ex Graecis
 coloniis usurpatum; ac deinde (id quod in *Fossae Philisti-*
nae, in *Vada Sabatia* & tot aliis accidit) in unum nomen
 utrumque conflatum , VAD-MON aut terminatione Latina
 VAD-MONIS, effecit. Nec illud de nihilo est, quod voca-
 buli penultimam Polybius, (non secus ac in Μόνος) corri-
 puit. Atque ea, nisi vehementer fallor, vera est VADMO-
 NIS si VADIMONIS (vocis hybridæ) originaio. Cete-
 rum lacus hujus fluitantes insulas (de quibus junior Plinius
 VIII. ep. 20. testis oculatus mira praedicat) credat qui vo-
 let. At si rei hujus, etsi falsissimae, persuasio tamen anti-
 quissima fuit; vide, an non VADIMONIS sit a Chaldaeo
 verbo הַרְדֵּם *haddem*, quod est *in frustra secare*, & הַרְדָּם *ba-*
dam, *frustum*: ex quibus, priore spiritu, uti fit, in digamma
 converfo, existeret FADIMONIS si VADIMONIS nomen .
 Et quidem natantes insulas modo cum continente connexas ,
 modo ab eo, quasi frustra, divulsas, ex Plinii narratione con-
 stat.

stat. At prior originationo verior, & bilinguibus Etruscis nominibus consentanea. Antequam hinc ab eo, lacus hujus figuram idem Plinius sic descriptam reliquit. *Lacus est in similitudinem JACENTIS ROTAE circumscriptus, & undique aequalis: nullus sinus, obliquitas nulla: omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cavata.* Jacentis rotæ similitudinem haud credo a Plinio primo excogitatam, sed sicuti ab accolis veterum auscultationum custodibus audierat, usurpatam fuisse. Certe vetustissimæ fabricæ, ac facile Tuscanicæ, nummus apud me est, in cujus antica parte caput antiquitate corruptum (virile an muliebre, incertum) sed facile galeatum est; in postica vero jacens rota radiorum octo. Sunt & apud Dempsterum & apud Gorium nummi alii cum jacentis rotæ typo; ut facile appareat, ea effigie Tuscos VADIMONIS lacum consignare voluisse; nec temere hunc potius lacum, quam tot alios; quia is lacus, teste eodem Plinio, SACER erat. Cui sacer? opinor, ipsi Deo VADIMONI; atque ob eam causam LACVS (Dei) VADIMONIS dicebatur, patrio casu.

VEIORVM, sicuti situs tandem ab Holstenio monstratus fuit, sic vellem & etymon posse ostendere. Dempsterus a voce VEIA (i. e. *plaustrum*) apud Festum deducit. Sed Festi locum, jampridem viri docti restituerunt in hunc modum: *VELA* (non VEIA) apud Oscos dicebatur *plaustrum*, unde *VELARII* stipites in *plaustro*, & *vestura VELATVRA*. Nec cur VEII dicerentur, quidquam satis certi succurrit. Scio בִּיא *Vaja* Chaldaeis esse *vae*, i. e. vocem dolentis & prae dolore exclamantis. Contra Syris בִּי *Veja* verbum est, quod saepissime in Syro N. T. in forma *Paël* est *consolari*, & in *Etpaël* est *consolationem accipere*: ibidem בִּוּיָא *bujaa* est *consolatio*. Verum ab Syriaca significatione non multum abludit Chaldaicum *Vaja* i. e. *vae*, quod videbatur esse contrarium: quia ex more orientalium (apud quos consolandi officium maximo in usu erat, & in luctu passim *consolatores* mittebantur; qui nonnunquam, ubi dolor acerrimus esset, rejiciebantur; quæ omnia ex sexcentis Scri-

prurae locis, alibi forte considerandis, manifesta sunt) *consolandi* ars non in dissimulando dolore erat posita, sed potius partim in lamentando, partim in defuncto (si luctus ex obitu esset) laudando, postremo in erigendis animis ad speranda meliora: quibus omnibus tibiarum cantorumque symphonia subserviebat. Nec abnuerim praeficas Tuscorum institutum fuisse. Si quis sane consolandi artem sive Vejentes primos in Italia professos (nam nulla ferme Tuscorum urbs erat, quin aliquo instituto celebraretur) sive prae ceteris excoluisse, & ab eo nomen obtinuisse contenderit, non morabor. Sed incertis quid immoror?

VETVLONII, aut *Verulonia*, sive (ut ferme apud Graecos) neutro genere Οὐετυλωνίων *Verulonionum*, non tantum una ex XII. principibus Etruriae fuisse creditur, sed inter principes ipsas una ex primariis. Nam singulare est, quod de ea canit Silius lib. VIII.

*Maenoniaeque decus quondam Verulonia gentis
Bis senos haec prima dedit praecedere fastes;
Et junxit totidem tacito terrore secures.
Haec altis eboris decoravit honore curules,
Et princeps Tyrio vestem praetenuit ostro.
Haec eadem pugnas accendere protulit aere.*

Ex his perspicuum est, Verulonios litterato potissimum otio, & pacis artibus supra ceteros populares eminuisse. Ac ne lectorem morer; mihi non est dubium, quin urbis nomen sit ex Heb. בטל *Batal*, *vacare, cessare*: quod verbum apud Chaldaeos Syrosque maximo in usu fuit. At apud Syros respondet Graeco verbo χαλάω, & Latino *Vaco*, quod *vacationem* ab rebus aliis significat, ut uni alicui rei opera navetur impensior. Itaque Syrus Interpres utitur hoc verbo non semel loco τῷ Σπυδαίω, *studeo, curo*. Ibidem nomen בטילותא *betiluta* loco τῷ Σπυδῇ, & adv. בטליתא *betilaita* loco τῷ σπυδαίῳ & μετὰ σπυδῆς (*sedulo*) usurpatur. Indidem est Targumistarum בטלן *batlan* (quod assumpto N proxime ad Tuscae urbis nomen accedit) *otiosus*: cuius plurale בטלנין *batlanin*. Ac de *decem Batlanin* i. e. *decem Synagogae otiosae* multus est apud Talmu-

~~rudicos~~ serino . Erat hic Decemviratus non turpi otio dif-
fluentium , sed vacantium a rebus ceteris , ut uni Synago-
gae , cui praeerant , vacarent . Qui de decem istis *otiosis*
plura scire volet , adeat Ligtfootum , Vitringam , aliosque .
Mihi demonstraſſe ex Silio ſuffecerit , quodnam otii genus
illud fuerit , a quo factum , ut *Vetulonius* primitus id orien-
tale nomen imponeretur . Hanc veriffimam *Vetuloniac* urbis
etymologiam commonſtraſſe , non ingratum ſpero noſtris Nea-
politaniſ fore ; ut appareat *Neapolitana Otia* in laude veteres
poſuiſſe , non vertiſſe dedecori . Et quidem *Oti* hujus urbis
plenae ſunt poëtarum chartae . Horatius in Epodis V.

Et otioſa credidit Neapolis .

Ovidius in XV. Met. *Es in otia natam Parthenopen* . Sta-
tius in III. Sylv. 5. *Pau ſecura locis , & deſidis otia vitae* .
Sed quo ſenſu haec *otia* ſint capienda Silius lib. XII. de-
cebit :

*Nemo mellas urbi ritus , atque HOSPITA MUSIS
OTIA , & exemptum curis gravioribus aevum .*

Nec tantum ſtudia ibi poëtica exulta fuere , ſed & gravio-
ra quaevis ; quod facile poſſem oſtendere , niſi alio propera-
rem . Interim Columella & Martialis DOCTAM vocarunt :
ille lib. X. *Doctaque Parthenope , Sebethide roſcida Lympha* :
hic V. 79. *Es quas docta Neapolis creavit* . Quibus Maro
concinit ; quem in fine Georgicorum tenebat *Parthenope* ,
STVDIIS *ſtudentem ignobilis oti* : nam apud Romanos , gen-
tem bellicoſiſſimam , otium litterarium ignobile & inglorium
vocabatur ; quod ex infinitis exemplis liquet . Ergo tantum-
dem antiquis erat OTIOSA Neapolis , quod *χολαζυσα , ſtu-
dioſa , docta* .

VOLATERRAE . Vide Diatribam ſequentem , quae
tota de *Volaterris* eſt , deque *Populonia* , & *Ilva* .

VOLSINII , de quibus vide TYRVM , & ipſa una ex
XII. fuit , clara lacu *Volsinienſi* , hodie *di Bolsena* appellato .
Id nomen quum Chaldaice *vitrum* aut *speculum* ſignificet
(בולסא *bulſa* eſt *vitrum* , בולוס *bolos* , *speculum*) ſuſpica-
bar id vocabulum primitus de lacu fuiſſe uſurpatum , ad in-

star *vitri* aut *speculi* pellucido, & ex lacu oppidum eamdem appellationem nactum: quippe jam supra ostendimus, prius amnes, lacus, montes, quam urbes nomen adeptas. An in lapicidinibus, quae prope hunc lacum memorantur Vitruvio Plinioque, etiam praeter cetera *lapis specularis* aut *crystallus* effodiebatur? An a בולסוף *Bolsoph* loci nomine in Babylonia (de quo vide Buxtorfium in Lex. Chald. p. 312.) *Volsiniorum* urbi nomen inditum? hoc ultimum, quo sensu verum esse potuerit, dicetur infra suo loco. Et lacus quidem Volsiniensis per MARTAM flumen in mare se exonerat. Ac de MARTA supervacaneum est dicere, quippe quod, cujuscumque significationis sit, nomen orientale esse, omnes sciunt. At crediderim olim hujus fluenti latices *entergendi*, ac forsitan etiam *depilandi* vi polluisse. Vtrumque certe verbo מרס *marat* significatur; quod verbum saepius est *deglabrare*, interdum est *entergere* puta aes, aut & similia. Et *Officinis* quidem lapicidarum *circa lacum Volsiniensem* (quarum Vitruvius II. 7. meminit) aquarum abstergentium usus non inutilis fuisset. Quid quod Ezech. XXI. 11. *Chereb* (מרס) *morattab* significat *gladium tersum*? An non, amnem hunc non lutulentum sed lucidum ac *tersum* decurrisse (de quo accolae judicaverint) & ob eam causam *Martae* nomen consecutum, suspicari datur? Id vero si est; etiam *Volsiniensis* lacus, a quo Marta exit, quia *tersus*, *speculi* nomen obtinuerit. Atque haec satis esse possunt. Cetera quoque locorum Etrusca nomina (etsi pauca sunt, quae non attigerim), quum Latine & Graece nullam significationem prae se ostendunt; in Hebraea tamen aliisve affinis Dialectis aliquid certe innuunt. Verum quia deficiente historia non licet eas significationes locorum ingenio aut eventis convenientes demonstrare; nolo morosa diligentia cuiquam negotium facessere.

DIA-

D I A T R I B A VII.

DE VOLATERRIS, POPVLONIA, ILVA :

§. I.

VOLATERRAE cur sic nuncupatae fuerint. Quodque id vocabulum alterius Etrusci nominis OENAREIA sit mera interpretatio .

JAm vero omissis ceteris nominibus ; quorum tantum interpretatio mansit , quid VOLATERRIS fiet? Estne credibile , nobilissimam juxta & antiquissimam Civitatem , unam ex XII. Tusco nomine caruisse ? Nam ex hac voce , quae apud nos mansit , VOLATERRAE , quantumvis te excrucies , ne unam quidem litteram exsculpsis unquam , quae orientem sapiat . Est omnino , si me audis , nomen hoc latiale ; imo sunt duo vocabula in unum conflata , quae si rursus sejunxeris , efficietur singulari numero VOLA TERRAE . Cur autem sic appellata fuerit , Strabo attendentibus quidem certe causam monstrabit ; qui de ea sic scripsit : Τῶν δὲ Ουόλατερρανῶν ἡ μὲν χώρα κλύζεται τῇ θαλάττῃ , τὸ δὲ πῶςμα ἐν ΦΑΡΑΓΓΙ ΒΑΘΕΙΑ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς περίκρημος πάντῃ τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος , ἐφ' ἣ ἱδρύται τὸ πείχος τῆς πόλεως . ἡ δ' ἐπ' αὐτὴν ἀνάβασις πεντεκαίδεκα σταδίων ἐστὶν ἀπὸ τῆς βάσεως , ὄρεα πάντα καὶ χαλεπή . *Volaterranus ager mari alluitur : Urbis vero situs talis est . In curvatura terrae (ad instar volae scilicet) profunda excelsus se collis erigit , undequaque praeruptus , plano vertice , in quo urbis fundata sunt moenia : ad quam ascensus est stadiorum XV. ab imo usque praecipuus atque difficilis .* Ac latini nominis ratio talis fuerit .

Huic autem quid olim Etrusca Dialecto responderit equis vates expediet ? Nec enim is sum , qui veterem Tyrrhenum sermonem per omnia Hebraicum , aut per omnia Chal-

Chaldaicum, Syriumve fuisse contendam, ut proinde audeam pro VOLATERRAE $\varphi\lambda\alpha\tau\epsilon\rho\rho\alpha$ Capb-aretz (quomodo Volaterrae Hebraeis dicitur) tamquam vetus Etruscum nomen obtrudere. Nec porro fuit animus unquam sive Annianis commentis, sive Curtianis libris similia in subsidium adsciscere. Verum peropportune nescio quid lucis ab Aristotele affulget: cujus illustris locus exstat de quadam OENAREA urbe Tyrreniae. Stagiritae quidem verba omitti poterant, quippe a Claverio, & Dempstero recitata: verum quia horum opera pauciorum sunt in manibus; non gravabor adscribere integrum locum; praesertim quia hujus universae observationis praecipuus sit auctor, ac fundus. Ergo is lib. de Admirandis Auscultationib. (Edit. Vallii tom. I. p. 1158. C.) haec habet: Ἔστι δὲ πρὶν τὴν Τυρρηνίαν πόλις Οἰναρεία καλουμένη, ἣν καθ' ὑπερβολὴν φασὶν ὄχυσαν εἶναι· ἐν γὰρ μέσῃ αὐτῇ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς τριάκοντα σταδίου ἀνέχων ἄνω, καὶ κάτω ὕλην παντοδαπὴν καὶ ὕδατα φοβαμένους οὖν τοὺς ἐνοικοῦντας λέγουσι, μή τις τύραννος γένηται προϊστάμενος αὐτῶν τοὺς ἐκ τῶν οἰκετῶν ἡλευθερωμένους καὶ οὖν ἀρχοσιν αὐτῶν, κατ' ἐνιαυτὸν δ' ἄλλους ἀντικαθίστανται τοιοῦτους. In Etruria Urbem ferunt OENAREAM nomine, supra modum munitam esse; quippe cujus medium summus occupat ad triginta stadiorum altitudinem surgens; & omnigena materia, & aquis scatens. Vnde metuens sibi a tyrannide populus, servos manumissos summæ verum in annum praeficit, quo evoluta alios ejusdem sortis surrogat. Sane in illis ἄνω καὶ κάτω &c. Stephanus qui eadem ex Aristotele recitat, sic se habet. . . . ὑψηλὸς τριάκοντα σταδίων, ἔχων ἄνω ὕδατα καὶ ὕλην παντοδαπὴν: ut videatur in Aristotele, quo loco ejus est oratio hiulca, sic posse constitui, ut pro καὶ κάτω legatur κατέχων, in hunc modum: τριάκοντα σταδίου ἀνέχων, ἄνω κατέχων ὕλην &c. Nisi sic mavis. . . . ἀνέχων, ἄνω καὶ κάτω ἔχων ὕλην &c.

Ac diu est, quod hic locus summorum virorum torfit ingenia, rimantium, qua parte Tyrreniae ista Oenarea fuerit. Poterat videri Enaria insula in animo fuisse philosopho; quam Tyrreniae facili negotio attribuit, quippe orae Tyrreni

rhēni maris appositam, quam Tyrrhenorum olim fuisse Stephanus scribit: nec id aegre crediderim. Verum jam tum, Cluverio scribente, quem vide pag. 513. 10. viri docti in hoc Aristotelis loco Volaterras sibi videre visi sunt. Nam Stagiriticae urbis descriptio sic cum Strabonis Volaterrarum delineatione pulchre convenit (nam si quid forte disconvenit, ut quod collis is, quem Aristoteles de urbis umbilico attollit, is apud Strabonem in vertice civitatem gerit, & alia id genus, non tanti sunt, nec conciliari nequeunt) ut non possit alteri loco congruere. Solum tamen Oenareae nomen, nusquam alias auditum, deterrebat, & adhuc deterret viros doctissimos. Itaque eo confugerunt, ut in Aristotele (sive ex auctoris ἀνιστορησίᾳ, sive potius librariorum supinitate) mendi id vocabulum arguerint, ac pro Οἰναρέα repositum iverint Οὐλατῆραι. Primus, quod sciam, qui hanc medicinam Aristoteli fecerit, fuit Petrus Victorius. At Deus bone! qui sic agunt, non παραρᾳσίᾳ (cadentis etiam in bonos viros) sive philosophum, sive librarios, sed falsi accusant; cum nulla inter duo vocabula sit prorsus communis littera.

At volo jam eam sollicitudinem viris eruditissimis eximere. Ajo Οἰναρέα Oenaream civitatis illius priscum fuisse nomen, idque tantundem Etrusce valere, quantum Latine Volaterrae. Et quidem Oenaream non unum ac simplex esse vocabulum, sed ex duobus conflatum, altera ejusdem oppidi brevior appellatio OINA (Oena) apud Stephanum fidem faciet, de qua infra. Ita relinquitur, ut altera sit pars vocabuli PEA Rbea. Posterius hoc terram significare, vel ex eo liquet, quod Rbeam Romanorum esse tellurem inter veteres convenit. Jam tu (inquis) de Latio, non de Oriente hauris. At qui sic agunt, nae isti non intelligunt, Latii quantum est, id totum ex Oriente esse. Verum de hoc alias. Nunc illud urgeo. Quae Hebraeis ערץ Eretz (idest terra) ea Chaldaeis forma emphatica ארעא arba dicitur. Jam vero litteram gutturalem Ain, quam per H expressi, solent Graeci, Latinique interdum per aliquam vocalem red-
dere.

dere . Sic פֶּרֶחַ *Pharboh* a senioribus redditur Φαραὼ *Pharao*. Et Gen. IV. 22. נַחֲמַח *Nahmah* in iisdem senibus est Νοε-
μα *Noema* . Ergo Chaldaicum אֶרְעָא *arba* (id est *terra*)
ab Etruscis pronuntiabatur AREA : unde apud latinos eadem
vox AREA manavit pro eo quod Graeci ἄλωην , nos
Aja , ipsi Latini alio vocabulo *solum* appellant : nam quas
Etymologi producunt *Aene* Latinorum originationes , eas
nauci duco . Jam vero ex Chaldaico , itemque Etrusco A-
REA per aphaeresin (quam *Aleph* , & *Jod* non raro pa-
tiuntur) factum est RHEA , quae apud Latinos Telluris no-
men erat .

Vidimus de REA , sive AREA posteriore parte τὸ
ΟΕΝΑΡΕΑ , quam & posteriori VOLA-TERRAE parti
ἰσοδυναμοῦσαν (*aequivalentem*) liquido demonstravimus . Jam
de priore OENA experiamur , utrum tantumdem , quod la-
tinum VOLA esse potuerit . Hujus vero ratio pluribus ex-
pediri modis potest . I. Primum ut sit ab Heb. אֲנִי *Oni*, *Na-
vis* , quod & saepius אֲנִיָּה *Oniab* dicitur , ex quo Graeci
trajecto *Jod* fecerint Οἶνα , *Oena* . Re enim vera ad telluris
alicubi depressioris cavitatem exprimendam nihil Etruscis con-
ditoribus visum est *Navis* voce aptius : at Latini de re ma-
gis , quam de verbo solliciti , in sua interpretatione , *volae*
vocabulum per quam scitissime usurparunt . II. Possit & ab
Arabico اِنِيَا *Inja* (quod *pateram* , aut *craterem* designat)
aeque commode deduci , ob eas , quas modo attigi rationes .
III. His jam accedat tertia originatione longe omnium verissi-
ma ab Heb. הֹפֶן *Hophen* , quo vocabulo non tantum *pugil-
lus* significatur , verum etiam *Vola* ; quod ex Prov. XXX. 4.
potest intelligi , ubi Aquila (interpret servilis ingenii , hoc
est Hebraeorum vel apicum tenacissimus) pro הֹפֶן *Ophen* ,
posuit in interpretatione sua θενάρης i. e. *volis* . Jam vero
istud *Hophen* secundum Chaldaeorum formam emphaticam
הֹפְנָא *Hophna* dicitur : deinde lenito primae litterae spiritu ,
& littera adspirata פ sive Φ (tamquam digamma scilicet)
in V consonam commutata , exisset ΩΤΝΑ (i. e. *Ovna*
di-

disyllabum per V consonam pronuntiandum) : hinc jam (Ω in O breve converso) οὐνα VNA : postremo (quia Latinorum V longum olim in diphthongum OI aut OE commutabatur ; exempli gratia quod nunc CVRARE dicitur , pro eo veteres modo COIRARE , modo COERARE usurpabant) Οἶνα idest OENA . Vides jam per quot gradus ad illud Οἶνα ; sive OENA (sive , si mavis , ad monosyllabum Οἶν , OEN ; nimirum si in Hebraeo ipso יֶנֶן *Hophen* eisdem gradus , ac in *Hophna* facias , puta Ωῶν , deinde οῶν , postremo Οἶν) ventum fuit ; Etruscum scilicet *Volae* vocabulum . Et hanc quidem tertiam ἐτυμολογίαν verissimam censeo . IV. Et tamen nescio quomodo in eam , quae sequitur , sum paulo inclinatio .

Etenim nolo a consueta apud priscos Hebraeos (illos dico Heroicorum temporum , aequales Etruscae gentis auctoribus) nominum locis imponendorum ratione latum digitum discedere ; simulque ostendere , vocem *Oenarea* sic esse partendam , ut prior pars fuerit OEN monosyllabum (quamvis ex eo Graeci ΟΙΝΑ fecerint terminatione tum Chaldaica , tum etiam Graeca , Latinaque) altera vero AREA , ne qua forte litterula ex Chald. ארְבָּא *Arba* depereat . Equidem monosyllabum OEN , quod tamdiu excruciat , respondere Hebraico יֶנֶן *En* reperio : quae vox *oculum* significat , itemque *fontem* (quia ex utroque humor fluit) , ac praeterea , nisi vehementer fallor , notat telluris κοιλάδας *cavitates* tales , qualis illa Volaterrana erat , VOLA appellata . Hanc ultimam πῦν *En* notionem , nemini Hebraistarum observatam , exemplis jam demonstratum eo . . Vox יֶנֶן *En* in pluribus propriis locorum nominibus priorem vocabuli partem constituit , ut in *En-Dor* , *En-Gaddi* , *En-Gannim* , &c aliis , in quibus prius μέρων (*particulam*) alii *oculum* interpretantur , alii *fontem* , utrumque enim illo monosyllabo significari potest . Verum *fontis* interpretatio mihi nullo modo probatur . Quid enim ? credibile est , tot illa oppida , aut pagos , qui ab EN incipiunt , fontibus adjacuisse ? Puteos in singulis effossos non abnuam ; at fontes sua sponte tot passim

Tom.II.

D d

exli,

exsiluisse, non arbitror, qui Judaeam siticulofam sciam, & minimos in ea fontes in numero haberi: ac postremo locorum revera fontibus adhaerentium nomina non videam ab EN incipere. Relinquitur ergo, ut in talibus nominibus illud *En* oculum interpretemur. Ac per me quidem mora nulla erit; modo intelligatur, quae sit oculi notio in his vocabulis. Equidem scio apud Talmudicos foramen lapidis molaris, per quod frumentum demittitur, & foramen furai, *עין* oculi vocabulo appellari, ab oculorum cavis ducta [metaphora; ac praeterea Cant. VII. 4. oculos cum piscinis conferri. Vide locum. Itaque cum *Enaim* audis (locus est Eusebio in tribu Juda) *duos oculos* i. e. duas κοιλάδας (terrae cavitates) interpretare. Sic *En-Afor* erit *cavitas villae*, ubi scilicet ea villa erat: *En-Dor* est convallis urbis Dor, aut generationis alicujus, five σποικίας. Sic *En-Gaddi*, & *En-Gallim*, illud *baedi*, hoc *virulorum oculum* i. e. cavitatem interpretare. *En-Gannim* erit *hortorum cavitates*; sic H. Sam. XVII. 17. *En-Rogol*: sic plura alia ejusdem significantiae. Sed prae ceteris attendi volo ad illud Neh. II. 13. *En-battanim* i. e. (me iudice) *cavus Draconis*, quia ibi cavus olim fuisset, ubi Draco stabulabatur. Tum ibid. XI. 29. est *En-rimmon*, sic, opinor, dictum, quia (κοιλὰς) *barathrum* erat dehiscenti malogranato simile; nam *רמון rimmon* est *malum punicum*. Ergo & EN-AREA (nam cur *עין* *En* in Oīs, OEN transierit, mox expedire fatagam) ergo, inquam, & *En-Area*, five *Oenarea* ex Hebraici sermonis indole tantumdem est, quod *oculus*, i. e. *cavitas terrae*. At Latini, apud quos insolens erat *oculum* pro *cavitate* usurpare, scite admodum *oculo* alteram corporis partem substituerunt, nempe *volam*, credo ex suae linguae ingenio. Vides tantumdem apud Etruscos fuisse *Oen-Area*, quod latine *Vola-terrae*, ejusque interpretationis rationem non nisi ex Orientis sermone peti debere.

Sed antequam hinc ab eo illud edisserendum est, cur ex *En* Graeci Οἶν *Oen* effecerint. Equidem litteram *υ* *Aim* non semel in nummis Phoeniciis effigiatam ut O, video iam

a ne

a nemine observatum. Nec alia, credo, ejus litterae forma in Hebraico vetere Alphabeto esse debuit; quia quum litterarum nomina plerumque ad earum formas spectarent; hinc quia *Ain* oculum significat, ejus litterae forma nonnisi orbiculata ad oculi similitudinem esse debebat. Accedit quod eadem littera *Ain* in Alphabeto Hebraeo, Samaritano, Syro, utique & Phoenicio, eo loco, & ordine erat, quo vocalis O apud Graecos, nimirum proxime ante Π. Ex quibus omnibus efficitur *Ain* litteram apud Phoenices vocalis O potestatem implevisse. Habes, cur vocalem O in eo vocabulo, quo de quaerimus, Graeci primam fecerint. At cur τῷ O etiam I subjunxerunt? quia nempe in י״ו secunda littera *Jod* est. En cur ex י״ו En Graeci Οἶν suam conflaverint.

Venio ad Stephanum, qui ex Aristotele se sua hausisse professus, tamen Οἶναι appellavit. Οἶνα, inquit, πόλις Τυρρηνίας ἐχουρά λίαν, & cetera porro ferme, ut in Aristotele, quem laudat. Errone in Stephani codices irrepsit? At etiam τὸ ἐθνικόν (gentile) inde format Οἶναις, *Oenates*; quod ab *Oenareia* fuisset Οἶναρῆς *Oenareates*. Equidem crediderim revera duo fuisse Etrusca Volaterrarum nomina, integrum unum *Oenareia*, cujus Aristoteles meminit, alterum brevius *Oena*, cujus gentile *Oenates*. Talia multa in Italia erant: v. g. *Alba Longa* (cujus gentile *Albanus-Longanus* in saxi obvium), eadem saepius compendio *Alba* dicebatur, undes *Albanus*. Taceo sexcenta alia in eundem modum. Ita fit, ut & Stephani, & Aristotelis appellatio utraque vera fuerit. At, inquires, ex Aristotele suam Οἶναι *Oenam* Stephanus se afferre profitetur. Ex quo fit, ut postea aut in Aristotelis, aut in Stephani exemplaria error irrepsit necesse sit. Atqui pernego nomen Οἶναι Ethnicographum ab Aristotele se haurire professum; a quo tantum loci descriptionem est mutuatus. Stephanus sic incipit: Οἶνα, πόλις Τυρρηνίας ἐχουρά λίαν: *Oena*, *Urbs Tyrrheniae admodum munita*. Haec de suo affert. Quae porro sequuntur, ea ex fide Stagiritae producit, ratus scilicet, id quod erat, *Oenaream* philosophi

ab *Oena* diversam non fuisse. In ejus medio, inquit, collis est altitudine XXX. stadiorum, habens in vertice aquas, & sylvam omnigenam; ut habet *Arist. lib. de Admirandis*. Ad extremum ex *Oena* gentile format *Oenates*. Haec ita esse, ut a me sunt constituta, haud dubito, quin ex integro Stephano colligeretur, si exstaret integer, cujus tantum epitomam male concinnatam terimus.

Postremo & illud dubito, utrum Ethnicographus nominis *Οἰνάτης* *Oenates* exempla ad manum habuerit; num quam addit αἰτιολογίαν rationem (οὐκ ἀλλότριος γὰρ ὁ τύπος, quae forma a more regionis non abhorret) eo pertinet, ut videatur id ἔθνικόν ex analogia formatum, non exemplis suffultum. Quid quod etiam analogiam heic desidero? Quodnam enim mihi gentilium nominum Italicorum demonstrari potest in *ATES* definens? nec enim *Crotoniates* & similia Latina sunt, sed Graecarum urbium Graeca gentilia. Verum quae hujusmodi derivativa Italica Graeci in *ATHΣ* finiunt, ea Latinis in *AS* terminantur. Itaque istud *OINATHΣ* Stephani, Latine reddendum erat *AENAS*, non *AENATA*, quod Berkeleyus in sua interpretatione posuit. Id tantum doleo, quod τοῦ *OINATHΣ* (i. e. *Oenas*) exempla defecerint. Sane dicerem ex *Οἶνα* *OINAIΟΣ* *Aenaeus* factum; si illud *ΣΩΣΙΩΝΟΣ* *OINAIΟΥ* (quod apud Grut. 86. 2. legitur) ad *Aenam* Etruriae pertinere, praestare possem: nam potius videtur *Sosion* ille *OINAIΟΣ*, domo *Οἶνη* *Oene* Argorum urbe fuisse, a qua idem Stephanus gentile *Οἰναῖος* derivat.

Atque haec de Etrusco *OEN-AREA* nomine, ejusque Latino interpretamento *VOIA-TERRAE* dixisse sufficiat, in tantae urbis, unius ex principibus olim, nunc etiam non incelebris, gratiam.

§. II.

De Populonia . Quorum colonia fuerit . Populoniae duo numeri inediti .

HEic vero me continere non possum ; quin Volaterris Coloniam ab se constitutam POPVLONIVM (quae Virgilio est POPVLONIA , Livio *Populonii* , Graecis *Ποπλώνιον*) adnectam . De qua Servius ad illud Aen. X. *dederas Populonia mater Expertos belli juvenes* , scribit in hunc modum : *Quidam post XII. POPVLOS* (notabis hanc vocem , quippe ad hujus Coloniae etymon profuturam : quae vox adhuc sub Caesaribus , ut ejus rei peculiaris , usurpabatur in veteribus titulis , in quibus ETRVRIA XV. , aucto scilicet numero , POPVLOR reperitur : hos Attica *δήμους* appellabat : sed redeo ad Servium) *in Etruria constitutos , POPVLVM ex insula Corsica in Italiam venisse , & POPVLONIAM condidisse dicunt . Alii Populoniam Volaterranorum coloniam tradunt . Alii Volaterranos Corsis eripuisse Populoniam volunt .* Ex his narrationibus ea verior est , quae *Populoniam* Volaterris quocumque modo adjudicat ; nam & hoc ipsum vocabuli vis designat , quippe *Ποπλώνιον* est *Πόπλος ὧν* (pro *Οἶν*) i. e. *populus Oenae* , sive *Oenarae* , sive *populus Volaterranus* . Postremo quia vocem POPLVS (nisi forte Tusci , ferme carentes vocali O , PVPLVS dixerint ; unde mansit PVBLICVS pro PVPLICVS) olim quidem usurpatam in XII. tabulis , recentius Latium , vocali V interposita auctiorem faciens , dixit *Populus* ; & jam oppidi hujus nomen eodem austario cumulavit . At Graeci interim (quos non semel in locorum nominibus antiquioris scripturae tenaciores deprehendi) veterem hujus oppidi scriptionem conservarunt , apud quos *Ποπλώνιον* , non *Ποπουλώνιον* scribitur . Ac de scriptura satis . Interim maneat *Populonium* esse *Populum Oenae* , sive ex Volaterrano populo traducem .

Atque haec jam ante aliquot dies commentatus commodum

dum in Matthaei Aegyptii (viri tum cetera eruditissimi ; tum in ἀρχαιολογία plane summi , quem nuper ab REGE amantissimo suae Bibliothecae fuisse praefectum , non sine praeclara sui de viri tanti eruditione iudicii significatione , necum una docti omnes gratulabuntur) gaza nummaria , inter popularia numismata , duos reperi nummos , quos adhuc , quod sciam , ineditos , quia non dubitavi , quin ad Populonium sint referendi , in tabula incidendos curavi . Vterque etsi antiquitate detritus , tamen satis conspicuis Etruscis characteribus inscriptus est , quos si Latinis expresseris , reddunt PVPLVNA h. e. *Populonia* . Ex quo etiam intelligis , Virgilium (cui *Populonia* dicitur) ad Tuscum PVPLVNA propius accessisse , quam sive qui *Populonium* , sive qui *Populonios* appellarunt . Adde hoc etiam PVPLVNA conflatum videri ex PVPL & VNA . Posterior pars aequivalet voci *Oena* ; quia V in OE aut OI resolvitur . Sed redeo ad nummos , Eorum unus ex una parte caput galeatum , ex altera noctuam cum recitata epigraphe exhibet : alter hinc malleum , & forcipes cum eadem inscriptione , illinc Vulcani (nisi vero obscura quaedam laureae vestigia aliud suadeant) caput ostendit . Ad posteriorem nummum illustrandum mirifice facit , quod ferri glebae , quae in Aethalia effodiuntur , insectae Populonium deferuntur , ibique elaborantur , atque in massas rediguntur . Auctor Strabo lib. V. ubi praefatus , se , consensu Populonio , tres inde insulas , Sardiniam , Corsicam , Aethaliam conspiciat , ut & Populonienfes quasdam ferri fodinas desertas , addit : Εἶδομεν δὲ καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὸν σίδηρον , τὸν ἐκ τῆς Αἰθαλίας κομιζόμενον· οὐ γὰρ δύναται συλλιπαίνεσθαι καμινεούμενος ἐν τῇ νήτῳ· κομίζεται δ' εὐθὺς ἐκ τῶν μετάλλων εἰς τὴν ἡπειρόν . Vidimus ibi etiam qui ferrum ex Aethalia delatum elaborarent : non enim in insula fornacibus in stricturam cogi potest , sed statim atque effossum est , in continentem transuebitur . Illud συλλιπαίνεσθαι non est liquari (quod usurpavit interpres) sed in stricturam i. e. massam cogi ; sic enim locutus est Varro , ubi de Ilva apud Servium lib. X. scripsit : *Nasci quidem illic ferrum , sed in stricturam non posse*

posse cogi, nisi transvectum in Populonium. At primum de his Aristotelem reperio locutum: de quo mox. Sed & apud Livium lib. 28. quum Etruriae populi pro se quisque Consuli subsidia promitterent, *Populonienses ferrum* promiserunt. Atque haec, quae de nummis hisce duobus dixi, amicissimi Aegyptii nostri iudicio permitto.

§. III.

De ILVA insula. Hoc nomen tantum Etrusce, sive Hebraice valere, quantum Graece Αἰθάλια.

Nunc quando de *Aetbalia*, quae Latinis est ILVA (hodie *Elba*) mentio incidit; non possum de ea insula non pauca ponere, quam suspicor primitus in Populoniae potestate fuisse. Sed quidquid hujus fuerit; nunc certe ILVAE etymon rimari proderit. Estne ab *ערו* *Erva*, nuditas? Nam certe in Vulcaniis officinis a nudis ferrum tractabatur; nec aliter Vulcanus ipse a Luciano, & aliis describitur, quam circa lumbos succinctus, cetera nudus. *Chalybes nudi* describuntur Virgilio, idque in climate frigidissimo. Ex *Erva* deinde Hebraico ac Tusco Latini R in L (quae duae litterae quam saepissime alternant) ILVA fecerunt. Ea si sit *Ilvae* *ἔτυμολογία*, simul intelligetur, cur in altero nummo Populonensium, de quo nihil attigi, hinc Noctua, illinc caput (Minervae utique) galeatum conspiciatur: nam hujus Deae nomen Etruscum est, in quorum monumentis haec MENERVA dicitur; quasi scilicet *ערו מן* *Men-Erva* i. e. *Ex* (insula) *Erva*, in qua apud Etruscos Deae sive natale creditum fuerit, sive eadem ibi peculiariter colebatur.

Traditae *Ilvae* originationi hoc fateor opponi posse, quod ex Varrone, ac Strabone in *Ilva* non officinae ferrariae fuerint, sed fodinae. Nodum hunc solvet Aristoteles, qui in Admirandis haec tradidit: *Εν ἡ (Αἰθαλεία) ἐκ τοῦ αὐτοῦ τοῦ μετάλλου πρότερον μὲν χαλκὸς ὠρύσσετο, ἔξ οὗ φασὶ πάντα κεχαλκευμένα παρ' αὐτοῖς εἶναι ἔπειτα μὲν εὐρίσκεισθαι χρόνου δὲ διελθόντος πολλοῦ, φανῆναι ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σιδη-*

δηρον, ὃ νῦν ἐπὶ χρωμάτων Τυρρῆνοί οἱ τὸ καλούμενον Ποπλωνίου οἰκοῦντες. *In qua* (*inf. Aethalia*) *ex iisdem fodinis antea aes eruebatur* (*unde Insularum instrumentum omne aereum esse ajunt*) *postmodum defecisse* : donec longo interjecto tempore in eisdem ferrum apparuerit ; quo hodieum Tyrrheni utuntur , qui incolunt Populonium . Ergo ab initio in insula aeris & fodinae erant , & officinae (quippe ex eo aere omnia insularis conflata erant) : mox ubi ferrum aeri successit , ex eo tempore (quia ferrum in insula cogi in massam nequibat) officinae celsarunt ; non quidem omnes , sed earum fodinarum dumtaxat , quae loco aeris ferrum reddebant . Ac profecto nisi Ilva fabrilibus officinis inclaruisset , non erat causa , cur nomen commune cum Lemno haberet ; nam utraque a Graecis (1) incolis Αἰθάλη aut Αἰθαλία dicebatur ; de quo videtis Stephanum (2) in Αἰθάλη , & Magnum Etymologicum.

(1) Quod *Ilva* insula Graecis incolis aliquando non caruerit, testatur Aristoteles in *de Admirandis* , a quo dicuntur οἱ Ἕλληνες οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες i. e. Graeci illi , qui in insula confederunt calculorum varii coloris , qui in littore visabantur , contulisse causam in destillationes liquorum , quibus Argonautae illuc aliquando appulsi uncti fuissent .

(2) Stephani locus in Αἰθάλη sic se habet : Αἰθάλη , νῆσος Τυρρηνῶν . . . εἰσι δὲ κεκλήσθαι διὰ τὸ σίδηρον ἔχειν , τὸν ἐν Αἰθάλῃ τὴν ἰργασίαν ἔχονσαι . Φίλιστος δὲ . . . Αἰθαλίαν αὐτὴν καλεῖ , καὶ Ἡρόδιανός , καὶ Ὀρός . Πολύβιος δὲ . . . Αἰθαλίαν τὴν Λήμνον καλεῖσθαι . Quae Berkelio sic redduntur : *Aethale* , *insula Tyrsenorum* *videtur autem ita a ferro appellata* , quod in hac insula conficitur . *Philistus vero* *eam Aethaliam vocat* , ut & *Herodianus* & *Orus* . *At Polybius* *Lemnum Aethaliam nominari* . In qua interpretatione duo me male habent , primum , quod ferrum dicat in insula confici , quod Strabo , Var-

ro , Aristoteles negant ; vide supra : deinde quod a ferro Aethaliae etymon petat , quasi vero vox Αἰθάλη ferrum significet ; quae revera notat tum fuliginem , quae in camino exsistit , tum etiam *savillam* . Glossae veteres : Αἰθάλη : *Fuligo* , *savilla* . Omnino vox est ab Αἰθα , *uro* : unde quae ab Αἰθάλῃ derivantur , *urendi* notionem complectuntur : quare αἰθαλίω est *uro* , & αἰθαλόεις *rudrōs* est *ferum candens* , & Vulcanus apud Suidam dicitur αἰθαλόεις θεός , quasi *Deum fornacarium* interpreteris . Ad summam , ut Stephano constet sententia , illud τὸν ἐν Αἰθάλῃ &c. scribe cum parva littera τὸν ἐν αἰθάλῃ &c. non enim heic est proprium Insulae nomen , sed *savillae* , aut *fornacis* appellativum ; ac verte sic : *Videtur autem nomen id (Αἰθάλης) consecutum ex eo quod ferrum habeat* , quod in camino (qui Graecis αἰθάλη vocatur) in massam cogitur . Non autem vult ibi ferrum confici , sed ut id nomen existeret , satis est fuisse tempus , quo ibi ferrum ἐν αἰθάλῃ , in stricturam cogeretur .

eum . Atque hoc quidem ILVAE simul & MINERVAE etymon ab ERVA i. e. *nuditate* petatum mihi quidem non pessimum videbatur , nisi aliud longe omnium verissimum affulsisset .

Ajo itaque ILVAM sine ullius litterae mutatione a verbo *לה* *ala* descendere , quod verbum Hebraeis quidem est *ascendere* (quae *ποιότης qualitas* elemento ignis est peculiaris) sed apud Arabes (apud quos ex suae linguae analogia tertia radicalis est *aleph*) significat *bullire* , *fervere* , *excoqui* , quae sunt rei metallicae peculiariora . At etiam apud Hebraeos idem verbum *accendendi* , sive *ignescendi* significatu non caruisse , quovis pignore contenderem ; quod quidem ab aliis adhuc , quod sciam , haud observatum pluribus argumentis luce clarioribus copiose demonstravimus in Dissertatione , quam de hac significatione verbi hujus scripsimus ad Ex. XXVII. 20. Itaque hoc unum ex illis Hebraeis verbis est , quae ex cognatis linguis lucem foenerantur . Jam vero quum verba , quae tertiam radicis *He* habent , adsciscant saepe in nominibus derivatis *Vau* , cujusmodi est proxime allatum *ערה* *Erua* ab *Arab* ; ita ex Hebraeo *לה* *ala* ἀναλογικῶς descendit *לה* , quod pro diversis punctis sive ELVA (& *Elbam* Gregorius M. insulam vocavit , ut & nunc dicitur) sive ILVA pronuntiabitur : quod nomen κάμινος *fornacem* fabrilem significabit , quod Graeci αἰθάλην dicunt . Atque hinc Αἰθάλη , Αἰθαλία , Αἰθαλία Graeca ejus insulae , (ut & *Lemni*) nomina , Etruscae ILVAE nuncupationi adamussim respondent , quam possis idcirco *fornacariam* interpretari . Atque ea certissima est ILVAE etymologia ; simul hoc nomen inter bilingues locorum appellationes referetur . Ac de *Volaterris* , *Populonia* , *Ilva* haec dixisse sufficiat .

D I A T R I B A VIII.

§. I.

Nomina propria regum ac virorum Tuscorum :

IN his brevior ero, duabus de causis; primum quod; quos regum Etruriae catalogos plures affert Tom. I. Dempsterus, eos ferme fabulosos esse vel ipse fatetur; quo fit, ut satis habeam eos tantum seligere, de quibus dubitare veterum monumenta non sinunt. Deinde in his etiam ipsis multo ero, quam antea in geographicis vocibus brevior, propterea quod in illis, quia locorum ingenio nomina accommodata fuisse ostendi oportuit, per multas veterum testimoniorum, nec non Orientalium originationum ambages eundum fuit. At in virorum nominibus longe aliter res se habet, quae apud omnes gentes die nominali (qui dies nativitatem haud longo intervallo sequebatur) imponebantur, quando nemo infantis mores & indolem assequi conjectura potuisset. Quo fit, ut satis sit, si ea nomina ostendero, suas in Orientis linguis significationes prae se ferre; quum tamen eadem Graeciae & Latib sint prorsus barbara. Aut si cuius nomen fuit moribus ejusdem atque ingenio congruens; tum illud nomen postea ab eventu inditum fuisse, dicendum erit, ac verius cognomen habendum esse quam nomen.

ABAS, de quo non uno loco Virgilius, domo Populoniâ fuisse ab eo narratur. At vero, ubi idem interimitur, *Arcadiae* prolem appellat. At ABAS orientale esse nomen, & illud N. T. *Abba pater* docet; & vel si aliis litteris perscribatur, habet quoque in Oriente radices.

ANIVS rex, qui Anieni, in quem se demersit, nomen dedit (de quo locus est Plutarchi in *Parallelis*, quem
affert

affert Dempsterus Tom. I. pag. 144.) vel est a rad. Hebr. **אנא** *ana*, vel ab altera **אנא** *ana*: quae duo verba multas significationes obtinent, ac plura ex se derivata gignunt. Quorum autem radicum tertia est *He*, eae in derivatis facile in fine I adsciscunt, ut in ANII nomine fit. Vide lexica. Quamquam si optio detur, malim ex priore radice *Anii* nomen deducere, quae significat *moerere* & *lugere*. Nam ob moerorem amissae filiae se in flumen praecipitavit, uti narrat ibi ex Aristide Milefio & ex Polyhistore Plutarchus. Ita hoc cognomen ab eventu acquisitum ei fuerit.

ARIMNVS. In templo Jovis Olympii apud Pausaniam in Eliacis prioribus cap. XII. narratur fuisse in pronao **θρόνος Ἀρίμνου τοῦ βασιλεύσαντος ἐν Τυρσηνοῖς, ὃς πρῶτος βαρβαρῶν ἀναδηματι τὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ Δία ἔδωρήσατο**, *solum Arimni qui apud Etruscos regnavit, qui primus exterorum donum Olympio Jovi misit*. **ARIMNVS** autem est ab **אֶרַם** *Aram*, quod & viri & regionis nomen in Genesi est.

ARVNS celebre apud Etruscos nomen est ab **אֶרֶן** *aron* i. e. *arca*, mutato O in V (quod Tuscis est familiare) & addito fibilo terminationis gratia.

ASYLAS augur, de quo Virg. lib. X. prout prima gutturalis, aut sibilans littera, diverso modo scribitur, plura significat. Nam **אֶסֶל** *asel* est *nemus*: **אֶסֶל** *asel*, *piger* &c. At **אֶסֶל** *Asel* nomen proprium viri est, cujus familia recensetur tum I. Paral. VIII. 38. tum IX. 44.

AVCNVS sive *Ocnus*. De eo dictum supra Diatr. II.

AVNVS Rex Etruscorum, de quo Silius lib. III. *Apeninicolae regnator filius Auni*, et lib. V.

Quae vada Janigenae regnata antiquitus Auno,

Nunc volvente die Thrasimeni nomina servant.

nihil Graece, nihil Latine sonat. At Hebraice **אֶן** *On* significat *opes*, *robur*, *potentiam* &c. At Syrorum morem Hebraicum *Cholem* in diphthongum AV resolventium, Tusci passim imitantur, ut alibi observavimus. Sic pro *Ocnus*, *Aucnus* dicebant, & pro *Oser*, *Auser*. Quo fit vocem *Aunus* significare *vites*, opulentiamque: quod nomen Re-

gi mire congruit , quasi dicas *Polycrates* .

CAMESE regina Jovis uxor (a qua Italiam dictam *Camejenem* , narrat Macrobius I. Sat. 7.) indidem est , unde CAMESENES vocabulum arcessivimus in superioribus , a כמס *Camus* h. e. *latens* . Vide supra .

CILNIVS Tuscum nomen fuit apud Silium lib. VII.

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris .

Maecenas Augusti amicus (cui genus a Tuscis regibus) CILNIVS nomine gentilitio erat . Gen. X. 10. כלנה *Calne* est urbis nomen . Chaldaicum כלן *celan* aut כילן *cilan* pallium aut laenam notat . De nomine Maecenatis vide mox infra suo loco .

COELIVS VIBENNVS Dux Etruscorum fuit , qui cum suis copiis Romam (sub quo rege , & qua de causa , inter antiquos (1) non convenit) commigravit ; ac monti , qui ab eo (2) CAELIVS est appellatus , infedit . Vide de eo Varronis , Taciti , Tabulae Lugdunensis loca apud Dempsterum Tom.

(1) Sub Romulo id contigisse affirmant Varro , & ex eo Servius ad lib. V. adhaec Dionysius lib. 2. & Festus . At Claudius in Tabula Lugdunensi vult hoc sub Tarquinio Prisco factum . Postremo Tacitus : *Sedem eam acceperat (Vibenna) a Tarquinio Prisco , seu quis alius regum dedit : nam scriptores in eo dissentiant . Causa migrationis fuit , ut Romulo suppetias ferret , si Varro nem , Servium , ac Festum sequimur . Tacitus etiam auxilii meminit . Dionysius causam tacet . Apud Claudium in Tabula est paullo obscurior causa .*

(2) Tacitus in IV. Ann. 65. ait , *montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse , quod talis sylvae frequens foecundusque erat : mox Coelium appellatum a Coele Vibenna* . Consentit Varro , Dionysius , Festus . Sed in Oratione Clau-

dii Caes. (in Tab. Lugd. apud Grut. pag. 502.) de eo monte sic scribitur : *A Duce suo Caelio ita appellatus , mutatoque nomine (nam Tusce MASTARNA ei nomen erat) ita appellatus est , ut dixi* . Omnes , uti vides , consentiunt , a Coelio Tusco eum montem Coelium fuisse vocatum . Sed antiquius nomen Tacitus narrat fuisse *Querquetulanum* (a quercetis enim ejus montis , & mons *querquetulanus* dicebatur , & , ut opinor , quae vicina erat porta , ea *Querquetularia* vocabatur : de qua porta vide Festum in QVERQVETVLANAE & Paulum in QVERQVETVLARIA) Claudius *Ma- starnam* . Sed misso Querquetulano , facile adducor , ut credam , *MA- STARNAE* nomen , utpote Tuscum , a Vibenna primum fuisse monti impositum ; deinde sequenti aevo eundem montem ob Coelii do- mi-

Tom. I. pag. 195. Ac scriptura nominis diversa est; nam apud Tacitum est auferendi casu A COELE VIBENNA, ut & apud Festum (1) a Coele. At in Lugd. Tab. est *Caelius Vibenna*. Ac postremo in Varronis IV. de L. L. *Coelius Vibennus*. Quae discrimina nullius momenti sunt. Nam posterius nomen utcumque scripseris, nihil inde impendebit periculi. At praenomen quacumque demum terminatione donaveris, omnino tamen cum OE diphthongo scribendum esse (2) statuo. His intellectis, jam illud quoque est adnotandum

micilium fuisse demum *Coelium* vocitatum. Utur est; Etruscum nomen MASTARNA multa potest in orientis linguis significare. Ac 1. potest deduci a Chald. מַשְׁרָא *quod in Itbpaël significat remanere*, quia ibi REMANSIT Dux ille cum suis copiis: similis est locutio Festi in *Tuscus vicus*, quem sic dictum ait, quod ibi habitaverunt Tusci, qui recedente ab obsidione Porfena REMANSERVNT. 2. A מַשְׁרָא *mishtar*, quod Hebraice significat *dominatum*; aut a Chald. מַשְׁרָא (addito tamen M heemantico, & productione terminatione) quod est *instrumentum contractus* nim. inter Vibennum & Regem Romanum 3. A Chald. מַשְׁרָא *setar* (additis, ut supra, servilibus) quod extremum *latus* sive *aram* notat; quia is mons in urbis extremo latere erat. 4. Hebraicum מַשְׁרָא *master*, *latibulum* designat, fort. quia Romam Vibennus non tam suppetias laturus venit, quam (quod subindicat Tab. Lugdunensis) ut haberet, ubi tutus lateret. Sic alibi vidimus *Saturnum* a *latendo* dictum, & *Saturnium* ac *Latinum* simile nomen adepta, ut & *Camefenem*. 5. Postremo esse possit a Chald. מַשְׁרָא *masteranin*, quod significat *dominatores*, *praefectos*, *satrapas*; quia in eo monte

quaedam videbatur Tuscorum *Satrapia* constituta: quae ultima etymologia ceteris est verisimilior. Ac verisimiliorem verba Varronis faciunt loco laudato: *Hi (Tusci) post Coelii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspitione essent, deducti dicuntur in planum: ab eis dictus vicus Tuscus...* Principes de Coelianis, qui a suspitione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur *Coeliolus*.

(1) Festus in COELIVS ait: *Coelius mons dictus est a COELE quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium adversus Sabinos praebuit, eo quod in eo domicilium habuit.*

(2) Ac sic prorsus cum OE in Varronis, Taciti, Festi scriptis & editis codicibus scribitur, nec aliter, quod sciam, Mons COELIVS (qui ab eo Tusco duce nomen invenit) in veteribus monumentis, quam cum eadem diphthongo notatur: postremo gens COELIA, ab eodem illo duce nomen trahens, cum eodem quoque OE in omnibus lapidibus & nummis perscribitur. Neque enim haec omnia cum CAELO (καελω) quidquam commune habent, quod in antiquis monumentis semper cum AE scribitur, nec debet aliter (frustra dissentiente Vossio) quam sit a verbo *Ca-*

dum, non utrumque illorum hujus ducis nominum Etruscum esse, sed posterius tantum: nam prius illud COELIVS alterius est merum interpretamentum: id quod in sexcentis ferme geographicis Etruscis nominibus animadvertimus in Diatribis superioribus; idque etiam in *Bianore*, *Ocno* observavimus, itemque infra in *Clara Persena* docebimus. Videamus porro, num revera COELIVS tantumdem sit quod VIBENNVS aut VIVENNA. Hebraicum *בִּיב* *cavum* significat, uti constat ex participio *נִבֵּב* *Niphal* *נָבוּב* *nabub* quod Ex. XXVII. 8. Job. XI. 12. CAVVM quod dixi designat. Jam vero indidem fit Chald. *בִּיב* *bib* seu *viv*, & *בִּיבָא* *viva*, quod notat *ductus* seu *canales* tam ad aquas ducendas, quam ad fordes, uti sunt aquaeductus, cloacae &c., qui a cavitate id nomen habebant. Ab eo nomine (cujus plurale est *בִּיבִין* *vivin*) fit VIVENNA; quod proinde nomen *cavum* significat i. e. *κοῖλον*: unde eum COELEM aut COELIVM sunt interpretati sive ipsi Romani, sive Graeci prius (1), postea id sunt Romani imitati.

CORITUS (de quo vide loca Virgilii, Servii, aliorumque apud Dempsterum Tom. I. pag. 131. & sequ.) nomen orientale praefert. Estne ab Heb. *חֶרְטוּם* *chartum* i. e. *magnus*? an a Chald. *חֶרְוּת* *charut*, quod significat pulmonis vitium tale, quale ab haruspibus in extis considerari solet? de quo vide Buxtorfii Lexicon Chald. An *Coritus* sic appellatus,

Caelo. Haec quum sint certissima; tamen incommodat Dionysius, apud quem lib. 2. hic dux cum diphthongo prima, *Καίλιος* signatur. Cui respondeo, primum nescire me, quid Dionysii scripti codices praeferebant. Qui codices vel si omnes cum diphthongo AI id scribant; adhuc tamen incertum erit, quid ipse Dionysius scripserit. At molestior, fateor, difficultas est, quae paratur nobis ex Lugdunensi Tabula orationis Claudianae, in qua CAELIVS cum AE non semel notatur. Sed tamen quia ea tabula in Galliis scalpata fuit, minus miror, *ἐπιδογραφήσαν*

eius nominis minus fuisse observatam. Nam qui nescirent, quo pacto mons COELIVS, quove gens COELIA scriberetur, facile suspicari potuerunt *Coelium* Tuscum non a *καῖλος* esse, sed a CAELO h. e. *ἄραρον*, id quo tamen fugit eos ratio.

(1) Sicuti OCNVS a Graecis μετανομασθῆν BIANOR, sic crediderim hunc Vibennum a Graecis (sive Demarati comitibus, sive aliis) prius dictum interpretando *κοῖλον*, deinde hoc Romanos imitatos, eundem sive COELEM sive COELIVM appellitasse.

latus, quasi si esset aliquis ex כֶּרֶתים *ceretim* i. e. ex iis qui *Cerethaei* in Sacro Codice appellantur? An postremo a קֶרֶת *karet* id est *civitas*? ut alias originationes taceam.

DARDANVS teste Servio ad III. Aen. Etruscus erat, unde profectus in Phrygiam, Trojanum ibi regnum condidit. Id vero nomen est a Chaldaeo דַּרְדַּר *darder* h. e. *dispergi*, *dissipari*. Nam sive quia fratrem suum Jasium Dardanus occidit, sive quid aliud accidit; certe διασπορά illa, qua Dardanus Phrygiam petiit, non sponte nec temere fuit. Virgilio ac Servii loca de Dardano collecta habes a Dempstero Tom. I. pag. 131.

DEHEBRIS Vejentium rex (de quo Varro in IV. de L. L.) est purum putum Chaldaicum nomen, quippe quod est a Chald. דֵּבָב *debab* h. e. *aurum*. Ait Varro, ab hoc rege Tybrim fluvium aliquando *Debebrim* fuisse appellatum. Ego potius contendo, huic regi a parentibus fluvii vicini nomen impositum fuisse. Ac certe aureus color huic flumini a Poëtis tribuitur, quando FLAVVM Tiberim appellant. Quod, quam in partem sit accipiendum, & cetera, quae huc faciunt, vide supra Diatr. VI. in TYBRIS.

FONTVS Jani filius (ut est apud Arnobium) significare diversa potest, prout a diversis radicibus arcessas: quae non est opus persequi. Vide Buxtorfii Lex. Chald. in radicibus פִּנָּה, פִּנָּה, פִּנָּה. Ad haec Syriace פִּנָּה *phanto* est dorsum manus aut pedis, sicuti Chaldaice est *obstragulum*.

IANVS ni fallor, inter primos Tuscae gentis auctores habendus est. De eo vide inter deos §. seq.

LAR, LARTIS Tuscum praenomen Porcenae, & Tolumnii fuit (de quo vide veterum loca apud Dempsterum Tom. I. pag. 135.) quod unde deducatur, difficile dictu est. Chaldaicum לַרְטֵי *lurteja* genus vasis significat. An erat *pelvis*, qua infantes nominali die loti, hinc illud praenomen consequiebantur? sed argutari piget: & ceteroqui non levis est suspicio, Chaldaicum illud vocatulum esse a Graeco λυτρίη detortum. An vero tam hoc praenomen, quam dii LARES (quos non dubito ab Etruscis esse) sunt a Syria-

riaco לרסותא *laruso* i. e. *niſtans* ; unde לרסותא *larſuto* id eſt *niſtatio* , *ſaruitas* ; & לרסותא *ſaruitas* ? ſane hoc etymon diis *laribus* (quos cum umbris & εἰδώλοις & lemuribus confundebant ; unde ἐμπρωσιν εἰδώλων dixit Cic. in II. ad Att. 3.) apprime convenit . Itaque deos LARES , deos *ſaruitas* licebit interpretari . A *Laribus* deinde eſt prænomen LAR , LAR-TIS , quod Sabino *Lucii* prænomini reſpondebat , ut Diatr. X. ad Marmor Piſaurenſe σὺν Θεῷ oſtendetur .

LAVSVS Mezentii filius apud Virg. venit ab Heb. & Chald. לוין *lus* (at *Vau* illud Syri aequè ac Tuſci in AV reſolvere amabant) quod verbum in ſuis derivatis & *deriſorem* , & *interpretem* , & *oratore* designat . At לוין Hebraice , & in dialectis ejus eſt *ſubigendae* farinae verbum .

LIPARVS , qui in inſula *Lipara* regnaverit eique nomen impoſuerit , aut nullus fuit umquam , aut ab ea nomen ſibi adſcivit . Ceterum LIPARA Syriacè *Flammam* vehementem ſignificat .

MACAREVS Aeoli filius memoratur Plutarcho , & Ovidio , quorum loca vide in Dempſtero Tom. I. pag. 152. 153. & quidem Aeolus ventorum rex creditus fuit , quia ex fumo Strongyles inſulae ignivomae futuri venti praefagebantur . An ergo inde *Macarei* nomen ex eo , quia is *in craſſinum* (Heb. מחרר *machar* ſignificat *craſſinum*) ventos praedicendi artem invenit ? An eſt a מחר *Machar* , peculiari commerciorum verbo , quibus ille operam navavit ? an a Chaldaica & Syriaca ejusdem verbi notione , qua *deſponſare* ſignificat , ab inceſto ſcilicet ejus cum ſore conuubio ? Verum ne multa : ſatis eſt , ſi id nomen aliquid in orientalibus linguis innuat .

MAECENAS a *caeciſis oculis* nomen fort. habebat is , qui primus ſic fuit appellatus ; nam id Arabice ſignificant quae a rad. مَكَه sunt . At Chaldaicum verbum מכה *meca* eſt *diſtillare* unde מכה *meca* eſt *tenuis* . Poſtremo Hebraicum מכה *macha* eſt *delere* , *abſtergere* . Ceterum nobiliſſimus ille Maecenas , qui ob Auguſti amicitiam celebratur , ad reges Tuſcos genus ſuum referebat : qua credo fama permotus filius

Silius lib. X. Maecenatem quemdam memorat ab Hannibale occisum, quem Etruscis sceptris olim fuisse clarum subindicat. Quasdam libertorum domus C. Maecenatis inscriptiones recitat Dempsterus Tom. I. pag. 222. 223. Alias adhaec in Fabretto notavi.

MALAEOTVS &

MELEVS (quorum ille Pelasgus Straboni lib. V. dicitur, qui regiam in loco dicto *Regisvilla* habuerit : hic Luctatio Placidio ad Statii VI. Theb. 402. *Tbyxrenorum imperator* dicitur & tubae inventor) ab eadem sunt rad. מלא, *male* i. e. *plenum esse*. Imo **MELEVS** est thema ipsum modo adscriptum, ac *plenum* significat. At **MALAEOTVS** proxime accedit ad Syriacum מליותא, *malitio*, quod in Syro Matt. IX. 16. *soliditas*, & Jo. I. 16. *plenitudo* exponitur.

MASSICVS apud Virg. est vel a loco dictus; vel a משה *massa*, quod *onus*, *tributum*, & alia plura notat.

MELEVS. Vide supra in **MALAEOTVS**.

MEZENTIVS est apissimum participium מצין, *menin* (quod Prov. XVII. 4. pro *maazin* מצין legitur) i. e. *obtemperans*, qui facile in bonum aut malum flectitur. Nec causa appellationis est sollicite quaerenda, quia, ut saepe diximus, nomina pueris, ante quam de se specimen praebent, imponebantur.

MORRIVS Vejentium rex, de quo Servius ad VIII. 285. est a מור *mor*, i. e. *myrrha*.

OCNVS. Vide supra Diatr. II.

OLENVS CALENVS celeberrimus Etruriae vates aevo Tarquinii Superbi, quem Romani consuluerunt super prodigio effossi in Tarpejo monte humani capitis, de quo vide Plinium XXVIII. 2. Posterius nomen facile is a patria habuit, quia domo Calenus fuisset. Aut certe (si ad nomen id vatis pertinebat) indidem erat, unde *Calenis* in Campaniae Etruria nomen quaesitum fuit, At prius nomen **OLENVS** fernidoctis hujus & superioris seculi ansam praebuit fabulandi, ab hoc *Oleno* nomen *Olanae* Padi ostio inditum. Nugae hae quidem canorae sunt; & unde Q. Tom. II.

LANAE sit nomen, jam supra Diatr. I. ostensum fuit. Ceterum si quis rem sic transigat, ab eodem Hebraeo עלה *ala*, quod est *ascendere*, non tantum illi ostio, sed & OLENO huic nomen fuisse, non repugnabo. Ceteroqui possit idem & a Syriaco עלנא, *alono* deduci, quod apud Novarinum exponitur *Decanus*, aut ab altero Syriaco עללנא, *allono*, i. e. *pastor*, *praeful*, *rector*. Potest & ab אילן, *ilan* fieri, aut emphatico אילנא, *ilana*, quod Chaldaice, uti & Syriace, *arbores* notat. Cur hunc Olenum Dempsterus (Tom. I. 199.) regia dignitate ornaverit causa nulla fuit.

OSINIVS ab אסין, *bosen*, *robur*, *opes*, vel undelibet. Est apud Virgilium.

PISEVS Tyrrhenus (a quo tubam aeneam, & rostra inventa fuisse, Plinius VII. 56. prodidit) a PISIS urbe Tyrrhenica nomen sibi quaesivit, aut indidem certe, unde PISAE.

PORSENA Clusinarum rex, praenomine LAR dicebatur. Nomen PORSENA est ipsissimum Chaldaicum פרנס, *parnas* (duabus tantum posterioribus litteris transpositis) quae vox *pastorem* significat, sed qua notione reges heroicis temporibus *pastores* vocabantur, unde Homericum illud *δὲο ποιμὴν λαῶν*. Sane quoties in Scripturis *Pascere populum Israël* usurpatur, ibi in Targumim verbum פרנס *parnes* legitur, quod verbum interdum etiam de animalium pastura usurpatur, unde existit PARNASSO nomen, monti pascuis laetissimo. Verum haec notio rarior, illa longe usitatio, qua hoc verbum de hominibus aut populis *pascendis* accipitur, uti & nomen PARNAS, quod vix aliter in Chaldaeorum scriptis, quam pro *pastore* politico, h. e. gubernatore in usu fuit. Ergo PORSENA tantumdem est, quod praefectus, rex, imperator. Ac Tusci quidem facile primam syllabam cum V vocali more suo pronuntiaverint; quam vocalem Latini in O transmutarint, quod in aliis sexcentis nominibus observatur. At Dempsterus Tom. I. pag. 137. Porсенae regi CLARAE & MAGNI cognomina affingit. Ac de MAGNI cognomento nihil affert aliud, quam illud Silli lib. VIII. *Quum Por-*

Porfena MAGNE jubebas Nequicquam pulsos Romae imperitare superbos. Atqui hoc fuerit fortassis epitheton; nec videatur magis pro cognomento nihil afferri posse, quam illud Livii (quod miror Dempstero non animadversum) Adeo valida res tum Clusina erat, MAGNUMQUE Porfennae NOMEN. Sed age verum nomen fuerit. Idem V. Cl. pro CLARAE cognomine Dionysii locum indicat lib. V. pag. 293. (at ibi praenomen Λάρος i. e. LAR, non cognomen CLARAS reperio) & Plutarchi locum in Poplicola. Plutarchus ibi (pag. 105. C) revera Κλάρων Πορσηνών vocat: sed facile est id ex praenomine LAR fuisse interpolatum. Tamen illud magis me movet, quod scriptor accuratissimus Tzetzes Chil. VI. cap. 39. in dubio ponit, utrum Porfenna Lar, an Claras praenomine fuerit; ait enim: Λάρτας Πορσηνῶς Τυρρόνως, ἢ Κλάρτας γε Πορσηνῶς, Lartas Porfenna aut certe Claras Porfenna. Quod argumento est, non in uno Plutarcho illud Κλάρτας Tzetzae fuisse lectum, sed & in aliis scriptoribus, quibus caremus. Equidem suspicor & Dionysium Κλάρος scripsisse, quippe qui alioqui T inseruisset, si Lartem dicere voluisset. Ceterum CLARVS est merum interpretamentum nominis Porfennae, si hoc ab Heb. פֶּרַשׁ paras deducatur, quod est declarare, unde praeteritum in Pual est פָּרַשׁ poras h. e. declaratum, expositum. An potius duo haec praenomina CLARI & MAGNI (si revera Magnus dicebatur) duo sunt interpretamenta synonyma τῷ Porfena, quatenus hoc a Chaldaico verbo פֶּרַשׁ peras venit? sic prorsus puto. Nam פֶּרַשׁ peras praeter obviam separandi significationem habet alteram (satis eam quoque usitatam) clarificandi & magnificandi (de qua vide Buxtorfii Lex. Chald. pag. 1856.) unde פֶּרִישָׁן perisan in Targumim significat μελαγεία, magnalia, i. e. clara et inusitata prodigia. Inter Porfennae miracula Labyrinthus praecipue ponebatur (de quo vide Plinium & alios); hoc vero & cetera ejus magnificentia regi huic, cui ab infantia longe aliud nomen fuisse credo, peperit PORSENAE nomen a פֶּרִישָׁן perisan scilicet, i. e. miraculis & claris operibus. Id quia Latine CLARVM (Graece ἐπιφανῆ) aut MAGNUM sonabat,

hinc nata duo regis nomina, quibus cognominis loco *Tuscan* *Porfena* addebatur: ut in *Aequis Faliscis*, *Clusio Camerte*, *Curva Caesena*, & tot aliis factum observavimus.

RHAETUS, de quo Plinius III. 20. *Rhaetos Tuscorum prolem arbitrantur, a Gallis pulsos Duce Rhaeto*. Justinus Lib. XX. *Tusci quoque, duce Rhaeto, aviris sedibus omis- sis (incurrentibus Gallis) Alpes occupavere, & nomine du- cis gentem Rhaeticorum condiderunt*. Scripturam quod atti- net, Columella in III. R. R. 2. *Reticam* sine diphthongo & aspiratione habet, idque lapides firmant. Verum hoc mis- so, illud scire libet utrum *Reti* ab *Reto* duce nomen sibi quaesierint, an contra. Prius Justinus credidit: at posterius etymologia suadet. Nam Hebraice רצוץ, *ratior* sunt *curso- res*. Hinc ea Tuscorum manus, quia cursu ad montes salu- tem sibi quaesivit, ex eo **RETI** sunt appellati.

SALIA Anii regis (de quo supra dictum fuit) filia a *Catheto* abducta Romam, nomen habet derivatum ab ali- quo ex iis verbis, quae tertiam radicem *He* habent, quae postmodum in *I* commutatur in derivatis. Itaque erit sive a verbo סלה *sala*, sive צלה *salab*, sive שלה *shalab*. At ultimum aptiores nominibus imponendis significationes complectitur; si- gnificat enim *tranquillum esse*, aut *quiescere*. Itaque **SALIAM** poteris Graece interpretari *Hesychiam*.

TANAQVIL clarissima in Romana historia femina est ab Heb. נחל *nachal*, *possidere*, cujus futurum in Hiphil est תנחיל, *tanchil*. Aut a נחל *nachal*, quod Hebraice & in ejus dialectis est *fraudulenter agere* & *machinari*: quod feminae ingenio congruit. Est & Syriacum נקל *nequal*, quod *pur- gare* significat.

TARCHON cognominis est *Taræ* Patri Abrahamæ (quem- admodum *Tare* Hebraice scribitur) tantum addita termi- natione Graeca; uti diximus supra in Dissertatione. Ab eo dicitur urbs **TARQVINII** nomen adepta. De Tarchonte vi- de Diatr. II.

TOLVMNIVS rex Vejentium (quo caelo Corn. Cos- sus spolia opima Jovi Feretrio retulit) indidem fortasse nomen habet,

habet, unde & TELAMON. Vide Diatr. VI. in eo loco. Ergo facile TOLVMNIVS est a Chaldaico & Syro verbo טלם *telam* quod est *opprimere*, unde est Syriacum טלומא *tolum* i. e. *oppressor*, *tyrannus*. Ceterum potest etiam arcessi a Chald. טלמא, *talman* i. e. *simulacrum*; aut ab Heb. & Chald. טלם *telem*, quod *porcam* i. e. *terrae tumulum* notat. Sed primum etymen probabilius. Huic regi LARTIS praenomen erat: de quo praenomine dixi modo supra quod potui.

TYBRIS teste Servio ad VIII. 330. *Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit*. Et certe quid TYBRIS Orientali dialecto significare possit, dixi Diatr. VI. in TYBRIS. Atqui ibidem contendit, verum hujus regis nomen fuisse *Debebris*, non *Tybrim*. At Tusci pro more suo D in T mutarunt, ut qui TVTERE dicunt, quod Latinis est *Tudertum* &c. Ergo ex DEHEBRI, duabus syllabis in unam contrahitis, & adhibito V (quam vocalem perdit amabant Etrusci) factum est *Tubris* sive *Tybris*. Ceterum quid *Debebris* significet, dixi tum Diatr. VI. in *Tybris*, tum etiam haec supra in *Debebris*.

VIBENNVS. Vide supra in COELIVS.

VEENS apud Virgilium vel est ab Hebr. וֶעַן *ofan* id est *rosa*, aut propius ab וֶעַן *Ufaz* (Jer. X. 9. Dan. X. 5.) ubi aurum optimum ac praestantissimum erat.

Plura ex Virgilio, Silio, Poëtis, Historicis seligere si quando per otium dabitur, ea eodem modo ex iisdem Orientis originibus interpretari, atque in hunc Catalogum afferre non gravabimur.

§. II.

Nomina Etruscorum Deorum.

ANCHARIA fuisse AESCVLANORVM (nimirum ἱερωπίον eorumdem Numen) Tertulliano Apolog. cap. 24. & in IL. ad Nation. 8. dicitur. Ac pro AESCVLANORVM, quod

quod nusquam est, Reinesius ad Cl. II. num. 23. reponerat FAESVLANORVM. Fundus correctionis huius summo critico fuit, quia inscriptio Faesulis reperta, quam ibi affert, in hunc modum habet: *L. Magilius. L. F. Paullinus. Vari-
scus. III. vir. signum. ANCHARIAE. sua pec. restitu.
L.D.D.D.* Nam quia epigraphe Faesulis detecta fuit, hinc *Anchariam* colligit Faesulanorum fuisse. At pace V. Cl. ex loco detectae inscriptionis non continuo sequitur, Deam peculiam ejusdem loci fuisse. Poterat *Ancharia* fuisse FAESVLANORVM, poterat ASCVLANORVM (nam alterutro ex his modis alii Tertulliani locum restituebant: ac falsum est, quod sibi sumit Reinesius, ibi Tertullianum solos ferme Etruriae municipales Deos ponere) & tamen huic Deae signum Faesulis dedicari. Verum ne morer, summum criticum opinione sua minime falsum, ex Etrusco demum anaglypto deprehendi, quod affert Cl. Gorius in Museo Etrusco Tab. XIII. in quo litteris Etruscis scriptum reperio ANKAR FESIAE, nisi in *αὐτογράφῳ* scriptum fuerit FESLAE. Sed ut ut est, mihi non est dubium, quin & illud ANKAR notet Deam *Anchariam*, & illud FESIAE aut potius FESLAE ad Faesulas pertineat. Quocirca pro certissimo posthac habendum erit, *Anchariam* fuisse Deam Faesulanorum; nec aliter quam FAESVLANORVM esse in duobus Tertulliani locis reponendum.

Jam si a me quaeras, cujusmodi hoc numen fuerit, respondebitur, fuisse agriculturae deam, quippe & Faesulanos agri (1) mira fertilitate illectos, agricolationi addictissimos fuisse oportuit, nec aliud numen magis quam agriculturae praeses coluisse; & in Goriano illo anaglypto *Ancharia* exhibetur alato capite (in morem Tyrrhenicorum numinum) alticincta, tamquam scilicet operi addicta, adhaec bipennem dextra tenens, duabus vero arbusculis hinc atque inde exsculptis. Haec fortasse dices leviora indicia agriculturae esse. Sed

(1) De agri Faesulani bonitate fidem faciet Livius lib. XXII. *Regio est in primis Italiae fertilis, Etrusci*

*campi, qui Faesulas inter Arretium-
que jacent, frumenti ac pecoris, &
omnium copia rerum opulenti.*

nomen tamen non aliud *Anchariam*, quam agriculturae Deam fuisse, certo arguit. Hebraicum **אכר** *iccar*, *agricolana* significat. Eandem significationem id vocabulum Chaldaice, Syriace, & Arabice obtinet. Et quidem prima vocalis Syriace & Arabice est A, haud secus ac in *Ancharia* nostra. At illud N unde irrepfit? quia nempe Daghes forte Hebraeorum solent Chaldaei, Syri, & Arabes (quos Tyrrheni sequuntur) in N resolvere. Hinc ANCHARIA pro *Accaria* dicta fuit. Huc usque illud etiam accedit, quod FAESVLARVM nomen ab anaglypto non abhorret. Nam sive a **פסל** *phasal* sit, sive potius a **פצל** *phasal*, utrumque materiariae rei verbum est; nam illud Hebraice, Chaldaice, & Syriace est *dolare*, *sculpere*, & plerumque ad ligna refertur; hoc vero Hebraice est *decorticare*, at Chaldaice & Syriace est *findere* & *secare*, nec nisi de materia usurpatur. Eo nempe pertinent arbusculae & bipennis in Deae dextera. Arbores autem caedere, decorticare, findere opus agricolarum erat. Postremo videndum, an non huc etiam ANCHARIVS pertineat; quam vocem Lucilius (apud Nonium in verbo QVIRITARE) usurpavit his verbis:

Haec inquam rudet e rostris, atque ejulabit

Concurfans velut ANCHARIVS, clareque quiritans.

Si quis, inquam, *Ancharium* pro rustico (sensu colectivo) accipiat, atque ista de rusticorum incondita quiritatione accipiat, non erit magnopere reprehendendus. Tamen & qui *Ancharium* interpretatur *Asinum*, sic quoque huic jumento ab agriculturae usibus nomen Tusci fecerint.

BACCHETIS. Vide infra in TAGES.

BYGOE Nympha artem fulguritarum scripserat, teste Servio ad VI. 72. ubi ait, Romae in templo Apollinis adservatos fuisse non tantum libros Sibyllinos, & Martiorum, sed & BYGOES Nymphae, quae artem scripserat Fulguritarum (credo subaudiri arborum) apud Tuscos. At ipsum Bygoës, seu (quod idem est) BYGOES nomen Tuscum & Orientale est; quippe quum Arabicum verbum **بغا** *baga* in conjug. V. de fulgure usurpetur *splendens* & *quaquoversum emicant*.

cante: unde Arabicum nomen *باز* *bango* idest (quia Arabes familiare habent O aut V ceterarum dialectorum in AV resolvere) BVGO (unde Tuscum BVGOE) exponitur in lexicis *Coruscatio fulguris*.

CAMILLVS apud Etruscos Mercurii nomen est; id quod ex Orientis linguis manasse, ostendit Bochartus, idque optime idem interpretatur pag. 395. seq. Quem omnino videas, censeo.

CAMVLVS apud Tuscos Mars vocabatur: de quo vide Gorii Muletum Etruscum. Id possit esse a *κῆμ* *Kum* idest *stare*, cuius participium *κῆμ* *Kam*, *stans*. Ergo nomen *Camulus* notat robur illud, ac vehementiam, quae in *stataria* pugna se prodit, quaeque proprie STATVS appellatur Latinis. Quo pertinet illud Horatii, *Minaci Porphyriae STATV*. Hinc *stare* & militare verbum est, & forense. Her. l. Ser. 9. *Inter eam, si Aut valeo stare, aut novi civilia iura*. Sic etiam *κῆμ*, *Kamim* i. e. *stantes* pro hostibus, qui ex adverso stant, ponitur Ex. XV. 7. ubi *stantes tui* dicitur, i. e. *hostes tui*.

CASTOR & POLLUX in monumentis Mulei Goriani perscribuntur litteris Tyrrhenicis in hunc modum KASTVR & PVLTVKE. Et certe ea nomina sunt a Tyrrhenis antiquitas culta, qui ea ab Oriente, non secus ac primi gentis Graecanicae conditores, detulerant. Nomina quidem certe manifesto ab Oriente sunt. KASTVR significat *sagittarium*, sive jaculandi arte peritum; est enim a *κῆρ* *Keser* i. e. *arcus*: quod Chaldaeis, & Syris modo cum *Tau*, modo cum *Tes* scribitur, apud quos facile prima syllaba vocalem A assumit. Porro Dioscuros, ac nominatim Castorem arcus inventorem fuisse, apud Natalem Comitem reperio: cui famae etymon modo traditum ansam praebuit. Alterius nomen Tuscum PVLTVKE fuit: unde apud veteres Latinos POLLVCES is Deus vocabatur. Vsurpavit hoc Plautus *Bacchidibus* IV. 8. 52. *Ita me... Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules... ament*. Ac mihi aegre est, quod in quibusdam Latinis lexicis hic locus sic accipitur, quasi sit plurale *Polluces* pro singulari positum; ut etiam *Castores* dicitur. Male: nam *Castores*

res utrumque gemellum significat : at heic , quia jam CASTOR praecessit , non potest POLLVCES nisi nominativus singularis esse. Verum quid multis opus est ? Aperte Varro in IV. de L.L. dixit : *Ὁ Πολυδεύκης POLLVCES non , ut nunc , POLLVX*. Huic tamen viro doctissimo non assentior in eo , quod τὸ *Polluces* a Πολυδεύκης venire credidit : nam nemo non videt a Tusco illo nomine , & Latinos τὸ *Polluces* arcessivisse suum ; & Graecos tamen (ne minus Graecanicum id nomen videretur) non nihil a vero nomine recessisse , ac deflexisse ad linguae suae ingenium , ita ut Πολυδεύκης dicerent. Sed tamen cum Graecanicum (1) nomen parum Deo sit consentaneum ; Tuscum contra multo aptissimum reperio. Nam PVLTVKE est ab Hebr. שָׁלַח , *pillet* , quod est *liberare* ; qua significatione etiam Chaldaeis ac Syris est usitatissimum. Imo apud Syros in derivatis facile in prima syllaba V adsciscitur (ut שָׁלַח , *pulato* , *liberatio*) quod Tusci heic & alibi imitari amant . Ad summam PVLTVKE significat Σωτήρα , *servatorem* ; quo elogio Heroes Diique mirifice gaudebant. Nota est Pollucis de Amyco victoria. Haec & similia certamina non alia de causa Heroes suscipiebant , nisi ut Populos ab efferatorum hominum violentia liberarent , ac praeclarum illud Σωτήρας nomen sibi pararent.

CERES nomen suum habet ab Hebr. verbo שָׁרָה *charas* , quod est *arare* ; quod illa scilicet Triptolemus docuit . At idem Hebraicum verbum quia etiam *silere* significat , unde שָׁרָה *cheres* est *silentium* ; inde illud circa Eleusina mysteria mirum silentium. Haec vero mirer , ni. & Athenienses (ubi aliquando Tyrsenos fuisse Thucydides prodidit) ex Italia ac Sicilia ab Etruscis didicerint. Certe ex eo , quod Servius ad

Tom.II.

G g

II.

(1) Πολυδαυκίς est *multum similis* , aut *multis similis* : nam Helychius τὸν πολυδαυκίαν φωνήν interpretatur πολλοῖς ὁμοίων . Adhaec eidem grammatico δυνάμις est λαμπρόν , ὁμοιον , *splendidum* , *simile* . Vides quam parum conveniens hoc nomen Deo illi fuerit. Nec ille alter ovo prognatus eodem , si

nomen suum Graece interpretari velit , in illa sibi interpretatione placebit . Nam Κάστω volunt a κάστω , *orno* , fieri. Sed utriusque interpretatio Graeca nihil ad Dioscuros : quum tamen iidem sermone Tyrhenico h.e. Orientali praeclaras significationes praeseferant , uti demonstratum fuit.

II. Aen. 325. adnotat, a Tuscis Cererem, Palem, & Fortunam Deos Penates esse dictos, potest colligi, Tyrrhenos Cererem peculii sui fecisse numen; non minus certe, ac *Antibariam* (quae *Pales* quoque dicebatur) & *Nortiana*, quae erat Etruscorum *Fortuna*. His accedit, quod apud P. Victorem Reg. VIII. *Ara communis* & *Cereris* & *Vortumno* erat. Quod argumento est, non minus *Cererem* quam *Vortumnum* pro numine Tyrrhenico habitam. Neque id mirum; nam quidquid *Italicum*, id continuo etiam *Tyrrhenicum* habebatur.

CVPRÆ Junonis apud Tyrrhenos sive nomen sive cognomen erat. Strabo lib. V. *Ἡραν ἐκείνοις ΚΥΠΡΑΝ καλοῦσιν*. *Tusci Junonem CVPRAM appellant*. Ab ejusdem cultu duobus Oppidis *Cuprae Maritimae* & *Cuprae Montanae* nomen fuit; ut alibi diximus. Hebraicum *צפר*, *Capar*, est *expiare*. Crediderim *Cuprae* huic sive Junoni a Puerperis *Sacra expiatoria* pro purgationibus fieri consuevisse. Isidorus VIII. 11. *Junonem dicunt, quasi Janonem, idest Januam pro purgationibus feminarum*; ab eo quod purgationibus praeerat: hinc *Sacra expiatoria* illi fiebant, de quibus Festus in *Februarius* in haec verba: *Februarius mensis dictus... a Junone Februata, quam alii Februalam, Romani Februlint vocant: quod ipsi eo mense Sacra fiebant, ejusque Ferae erant Lupercalia, quo die Mulieres februebantur a Lupercis Amiculo Junonis, idest pelle caprina: quam ob causam is quoque dies Februatus appellabatur*. Varro in V. de L.L. *Rem quum Feras menstruas nominis Februarii edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sahini purgamentum... & Lupercalia, Februatio*. Post pauca: *Februarium a die Februato, quod tum februetur Populus, idest Lupercis nudis lustratur antiquum Oppidum Palatium*. In verbis Festi sive potius Pauli *pellis Caprina* (cujus loris percussae februebantur) vocatur *amiculum Junonis*. Recte; quia Juno in nummis, & anaglyptis pelle Caprina oblecta tegitur. Interim quis scit, an non, quia *Cupra* Junonem significat; hinc propter vocum similitudinem *Caprina* illam pelle obtegerint, & caprino corio in lora dissecto ritum Lupercalium peragi placuerit? An contra, quia *Capra* (quam vocem Tuscam

scam esse scimus, ejusque etymon Orientale infra Diatrib. IX. in Tuscorum verborum Catalogo assignabimus) Junoni sacra erat ; hinc id nomen (tantum priore vocali mutata) Junoni tributum fuit ? Sed etymon, quod initio posui, magis se probare crediderim.

CVRETIS sive CVRITIS (quorum illud in Servio locis pluribus, hoc apud Festum in *Curitim*, & in *Celibari* scriptum legitur) alterum erat Junonis nomen. Et quidem Junonem Faliscam sic appellatam fuisse, docuit Tertullianus Apologetici Cap. 24. his verbis: *Faliscorum in honorem Patris Curis, & accepit cognomen Juno*. Quamvis autem in eo dissentiat Septimius a ceteris, quod hi a *Curis* h. e. *hasta* vulgo sic dictam velint, non a Patris sui *Curis* nomine; tamen ex Florente nostro hoc discimus, quod *Curetis* sive *Curitis* Faliscorum h. e. Etruscorum erat numen. Verior tamen, fateor, appellationis causa erat, quod Juno Falisca hastata erat, hasta autem *Curis* aut *Quiris* dicebatur: unde & *Quirino* etiam & *Quiritibus* ajunt quaesitum nomen. At in cujusnam linguae peculio vox *Curis* erat? In Sabinorum, ajunt. Verum cur a Sabino vocabulo Dea, quae Tuscorum erat, nomen accepisset? atqui mihi facile persuadeo, ita Sabinos vocem *Curis* usurpasse, ut eam tamen primitus ab Etruscis acceperint: de quo minime dubito. Maxime cum idem vocabulum sit prorsus Orientalis originis. Hebraicum quidem קור *Kur* sive *quir* (cujus plurale usurpat Isaïas) *telas* significat: at קרים, *Kurim* seu *quirim* Chaldaice est *liciatorium*; usurpaturque in *Beresit Rab.* 49. Vide de eo vocabulo Castelli Chaldaica sub *Rad.* קר, qui videtur eam dictionem (quae ceteroqui in Buxtorfii Lexico Chald. deest) habuisse ex additionibus Buxtorfianis, quarum Castellus in Praef. meminit. At textentium liciatorium hastae fuisse simile, constat ex pluribus Scripturae locis, ex I. Sam. XVII. 7. & II. Sam. XXI. 19. & I. Par. XI. 23. XX. 5. Hinc facile & idem nomen ad utrumque significandum usurpabatur; & apud Tuscos ex Oriente profectos *Kuris* sive *Quiris* tum *liciatorium*, tum *hastam* notabat. Confer cum his dicta de *Curetibus* in DODANIM, Hujus rei.

plane geminum & germanum illud est, quod Hebraice *מנורה*, *manor*, ita *liciatorium* significat, ut tamen videatur etiam *hastam* designasse; unde extiterit *Minervae* nomen, quae & lanificii dea erat, & hastam manu gerebat. Aut saltem quia illa textoriae artis dea in ejus rei symbolum *liciatorium* manu gerebat (unde & *MENERVAE* nomen sibi peperit) mox, quia id instrumentum erat hastae simile, credi *hastata* potuit. Vide de hoc quae in *Menerva* hausimus ex Guicharto.

DELVENTINVS Casinatium (h.e. Tuscorum Campaniae) deus. Vide infra in **NVMENTINVS**.

ELICIVS Jovis *Fulgeratoris* (quemadmodum in veteribus titulis scribitur) nomen est, male ab *eliciendo* ab Romanis derivatum, ut est apud Ovidium in III. Fast. 327.

Elicium caelo te, Jupiter, unde minores

Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Eodem pertinet, quod Livius I. 20. de Numa ait: *Ad ea fulmina elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit*. Eandem in *Elicio* etymologiam agnovit Plinius II. 53. Postremo & Arnobius lib. V. longam fabulam recitat in hanc ferme sententiam. Artem Jovis eliciendi de caelo Numa didicit a Fauno, & Pico, ad fontem, quo solebant convenire, vino mulsoque sopitis, caprisque opera duodecim juvenum, quos collocaverat in insidiis. Mox ab Jove sacrificiis *elicto* atque evocato idem Numa quaesivit procurandi fulminis ritum. De quibus vide Arnobium. Atqui istud *Elicii* etymon ab *eliciendo* ductum, ex Tusci h.e. Orientalis sermonis incitia, ab Romulidis ad portenta propensissimis procusum fuit. Verum etymon si a me quaeras: ajo illud esse ab Arabico verbo *أَلِك*, *elika*, quod verbum conjugatione V. est totum fulgurale, atque usurpatur de fulgure coruscante; unde etiam fit nomen *أَلِك*, *elik*, quod in lexicis exponitur *fulmen fallax, cui pluvia non succedit*. Hinc Tuscum (nimirum cum terminatione latina) *Elicius*, idest *fulgerator*. Nec dubito, quin ab eodem fonte cadat etiam vox veteris Graeciae *ΗΛΥΣΙΟΝ*, quam sic interpretatur Hesychius, *καταπαυσιμὸν χάριον, ἢ πιδίον*, i.e. *locum aut campum*

pum de caelo tactum. Nimirum enim vetus ac vera vocabuli scriptura, ut mihi plane persuadeo, fuerat **HAIKION** (aut *ἡλικιον*) ita ut indidem traxerit originem, unde Latinorum **ELICIVS**. At deinde Graeci (qui voces omnes interpolare amant, ne minus earum origo Graecanica videatur) fecere *ἡλυσιον*. Postremo etiam addita (1) praepositione *ἐν* *ἡλύσια* num. plur. dixerunt; in eoque vocabulo exponendo mire grammatici (2) insaniverunt; utique propter Orientalis *ἐτυμότητος* inscitiam.

FALACER in quibusdam Lexicis dicitur *potorum Deus*. Credo originem erroris fuisse hanc, quod in Varronis VI. de L.L. cum *Pomona* jungitur: *Flamen ... Falacer, Pomonalis*: mox: *Falacer, Pomona potorum patrona*. Sed differentia tanta est, *Lupis & agnis quantis sortito obigit*: quia *Falacer* quis fuerit, ne Varro quidem dicere promptum habuit. Nam lib. IV. de L.L. inter obscura flaminum cognomina ponit *Falacrem*: sic *Flamen* (inquit) *Falacer a divo patre Falacre*. Ac ferme eadem habet lib. VI. Quicumque tamen is Deus fuerit; poterat certe Varro ejus nomen a Graeco *Φαλακρὰ*, i. e. *calvus* deducere; nec vir Graece doctissimus ignorare id poterat. Id quia non facit: imo quia de eo se nescire ait; liberum nobis est suspicari, Tuscum fuisse Deum; praesertim quia

(1) Pollux IX. 41. *Τὰ μὲν τοῦ Ἑνῆλυσια δούτος ἀνοράζοντο, οἷς ἂ κατὰ σκῆπτου βίλος ἐξ οὐρανοῦ*. **ENELYSIA** dicebantur loca de caelo tacta. Hefychius quoque ea interpretatur *τὰ κατὰ σκῆπτου χερσὶν*, i. e. quae Latinis *Fulgurita* dicuntur: at deinde addit: *ἐνιστὰ ἢ κίνητα*, alii *facile mobilia*. Quid hoc sibi vult? an huc referendum est illud Horatii in fine Artis: *An triste bidental MOVERIT incessus*? Pergit Hefychius, deducens eam vocem *παρὰ τὴν ἡλύσιον, ἡλύσιον ἔλκεται*, i. e. *ab itione, seu adventu*. *Fabulae* nam revera vox Orientalis est, & **ELICIO** Tusco-cognata. Postremo in eo quod alios interpretari ait *τὰς ἐν τοῖς ἀβάτοις χερσὶν ἀφιδρυμένας ῥύμους*, in eo, inquam, *ἀβάτοι* intelligo (nam *Fulgurita* *inac-*

cessa erant); at *ῥύμους* quid isthic faciant (nisi vero **PVTEAL** Romanum, aut *Hydris* Pausaniae, a Graecis *ῥύμους* appellata fuerit) non intelligo. At Etymologici auctor, postquam eam vocem exposuit *κίνητα* juxta cum Hefychio; quae porro assert ex Aeschilo, obscuriora sunt: idem postremo *κατασκηθίοντα*, & *ἄδυτα* & *ἄβατα* cum ceteris interpretatur. Confer dicenda in *Bidental*. Diatr. IX. §. 3.

(2) Nisi verò illud **EN** non tam Graeca praepositio fuerit, quam Orientalis *ἔν* **EN** (de quo vide dista Diatr. VII. §. 1. in **OENAREA**) ita ut **EN EATZIA** (nam separatim olim id in Polluce legebatur) *fit locus fulguriti, κεκαρυνμένον χερσὶν ἢ τοῦ*, uti loquitur Hefychius.

quia ab eodem cum *Pomona* jungitur, quam Tuscam fuisse in sequentibus dicitur. Nec nomen, si ab Oriente arceffas, abhudit. Chaldaicum פלח *felac*, *serviendi*, *colendive* verbum est, ac ferme de cultu religioso aut idololatrico usurpatur, unde & Idololatria sic circumscribitur in Targumim פולחן נכראה *fulcana nueraa*, i. e. *servitus extranea*. Ab hoc Falacro haud dubito, quin nomen obtinuerit *Falacrinus Vicus* in Sabinis, quem putat Cluverius p. 690. & situm fuisse ad Truentum fl. ubi nunc oppidum dictum *Amatrice*.

FERONIA etsi prope Tarracinam colebatur (unde ea *Nympha Campaniae* Servio ad VIII. 564. dicitur: quo nimirum latiore sensu ejus aevo *Campania* usurpabatur) tamen non dubito, quin origo sit ab Etruria; in cujus agro Capenate *Feroniae fanum* & *Lucus* erat; sicuti etiam alterum *Feroniae fanum* ad Vesidiae amnis ripam in Lunensi tractu fuisse, ex non dubiis monumentis colligit Cluverius; ut & *Lucus Feroniae* inter Lunae promontorium & Arni ostia in Ptolemaei versione; de quibus vide Cellarium pag. 712. Ceteroqui *Feroniae* nomen si a פרה *Pbarab* (quod genus quiescentium verborum assumit in fine N) quod est *fructificare* deducas; significabit *proventuum deam*; sin a Chald. פרנס *phar-nes*, quod est *pascere*, *deam pascuorum* praesidem designabit.

FIAZZVS Jovis Tuscum cognomen fuit in Etruria Campaniae usitatum, de cujus significatione ex Hebraeo petita (nam Hebraice *Os forte* notat) egi peculiari dissertatione.

IANVS ut inter primos Tuscae gentis conditores habendus est, ita non ab aliis quam a Tuscis inter Deos relatus fuit. Paullo equidem iniquior huic Deo esse quibusdam videar, si ejus nomen a verbo ינה *jana*, quod est *opprimere*, *violenter agere*, deduxerim. Quamquam heroicis temporibus non alia ad regnum patebat via, quam per caedes, latrocinia, spoliationes; quandoquidem is rex erat, qui alios

Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.

Hinc qui his artibus regnum sibi parabant, ii *venatores* (ut de Nemrode dicitur Gen. X. 9.) aut *latrones* (quod de Josue usurpatur in celebri inscriptione apud Procopium) vocaban-

bantur; ac scimus ex Homeri, Thucydidis, aliorumque auctoritate *latronis* nomen primitus fuisse honorificum. Ceterum postquam Janus sibi regnum violentia peperisset; deinde illud sive sua sponte, sive hospitis Saturni disciplina edoctus, justitia & aequitate administravit. Et hujus originationis nondum plane poenitet. Nec tamen ab aliis abhorreo. Nam sunt, quibus *Janus* a *jaîn* sive *jen*, id est *vino*, cujus inventor fuerit (id quod nonnisi Saturno monstrante, est intelligendum) dictus videtur. Mihi videbatur ad *Javam* Jorise conditorem posse id nomen referri; quasi vero aut ipse *Javan*, aut ex ejus filiis aut nepotibus aliquis in Italia confederit, *Janus* ob id appellatus: id vero postea etiam Vossio in *Idolat.* venisse in mentem comperi.

IOVIS nomen totum ab Hebræis est, quippe a Dei veri ac summi nomine *אֱלֹהִים* illo ac *יְהוָה* (quod secundum Masorethicas vocales IEHOVA, at secundum antiquos IAVO aut IEVO pronuntiabatur) formatum: de quo nemo dubitat. Unde autem hoc nomen Latini didicerunt, nisi a Tuscis, quorum in anaglyptis nusquam non Jupiter comparet?

LARA Nympha &

LARES dii, unde dicantur, dictum §. superiore in LAR, LARTIS.

MAMERS Oscis (id est Etruscorum generi) dicebatur (teste Festo in *Mamertini*) qui Latinis erat *Mars*. Equidem non dubito, quin MARS sit a Cald. verbo *מרס* *meras*, quod *contendere*, *contundere* notat, ac praeterea *agitare*, ac *miscere* *susque deque omnia*. Ad haec *מרס* *meres* & *מרסנא* *marsena* nomina propria magnatum regum Persiae sunt in Chaldaeo libri Esther Cap. I. 14. quae non secus ac Italiae *Mars* a Chald. verbo supra adscripto oriuntur; At Oscum MAMERS habet praeterea M servile ab initio, quod participio formando servit. Aut vero erit ab Heb. *מרץ* *maras*, quod in *Niphal* est *acrem* aut *vehementem esse*, quod est Martis peculiare, ut *θούρος* *Ἄρης*. &c. Idem verbum in *Hiphil* est *acrem* & *robustum efficere*, cujus participium est *מרץ* *mamres*; unde

de transposita secunda vocali, existit ipsum Etruscum *Mamers*; is nimirum deus, qui ad pugnam acuit. Ab eo *Mamers* deinde contractum fuit Latinorum *Mars*: nisi vero hoc *ἀμείων* sit ab una ex praedictis radicibus. Haec aptius aliquando exposuimus in Comment. ad Tabulas Heracl. Collectaneo X. pag. 548.

MERCVRIVM quotusquisque est, qui non a *Mercibus* dictum putet? nam hunc volunt mercimoniis praefuisse. Verum satis constat, commenta plurima ab otiosis superstructa fuisse deorum nominibus, quorum veras originationes ignorarent. *Mercurii* certe nomen totum a Chaldaeis est, qui eum מרקוליס, *Marcolis* appellant: de quo vocabulo vide Scaligerum de Emendat. lib. V. pag. 486. Seldenum de Diis Syris Syntag. II. cap. 14. Drusium in *Prov. Sac. & Adag. Heb. & Buxtorfium* in Lex. Chald. Inter ea vocabula non aliud est dissidium, quam. *רֹוּ* L. & *רֹוּ* R; quas duas litteras saepissime, maxime in Orientalibus nominibus, alternare, nemo ignorat. Haec quum ita sint, non aliunde *Mercurii* nomen Latini habuerunt, quam unde & Deos hauserunt ceteros, ex Etruria scilicet. Ac sane apud Gorium memini me legisse MERKOLE subscriptum Mercurio. Nec aliunde Romani didicerunt *Mercurii* pedibus *Talaria* adnectere, quam ab Etruscis; in quorum monumentis *Mercurius* alatos calceos gerit: ut omittam quod alae numinum ab eisdem Etruscis sunt. Ipsa vox *Talaria* a Chaldaeis ad Etruscos fluxit, ut docebitur in *Talaria*.

MINERVA ab Etruscis dicebatur MENERVA uti constat ex pluribus Etruscorum monumentis: ex quo patet huius deae nomen & cultum Latinos a Tuscis accepisse. Quia vero proprium & peculiare huius deae munus erat lanificium & textrinum; hinc ea sine controversia nomen habet ab Hebraeo מנור, *manor*, quod J. Sam. XVII. 7. & I. Par. XI. 23. XX. 5. significat *jugum textorium*, aut *liciatorium*. Ac ne quemquam suo honore privem; fateor, ante me, aliis quoque verissimum hoc etymon venisse in mentem. Certe Dacerius ad Festum in *Minerva*, Guicharti sententiam his verbis explicat.

Mi.

Minervae nomen (est) *Aegyptium* , ut optime docuit *Steph. Guichartus* in *Harmonia etymologica linguarum* . Nempe a voce *Manor* . Atqui *Manor* , ut supra vidimus *Hebraicum* est ; nisi forte aliunde *Guichartus* (cujus *Harmoniam* hinc frustra quae-
sivi) ostenderit ab *Aegyptiis* eam vocem mutuatos *Hebraeos* ;
apud *Aegyptios* autem (ne hoc quoque dissimulem) *Neith*
Minerva vocabatur , ut ex *Platonis Timaeo* docuit *Bochar-*
tus col.136. Quae vero mox ibidem apud *Guichartum* in lau-
dato *Dacerij* loco sequuntur , ea certe palmam auferunt , *Ea*
(*Minerva*) manu liciatorium tenens pingebatur ; quod lici-
atorium , quia hastae , sive lanceae simile erat (ut in *I. Samue-*
lis XVII. 7. & II. XXI. 19.) inde *Graecis & Latinis Mi-*
nerva hastam (cum tamen non hasta , sed re vera liciatorium
esset) tenere credita est . Haecenus ex *Guicharto* apud *Da-*
cerium . Jam vero non ovum ovo similis , quam quod
Curis (quod *Chaldaeis liciatorium* significat) apud *Tuscos*
eorum propaginem etiam *hastam* notat , unde & *Juno Cure-*
tis dicta fuit . Vide supra in *Curetis* . His intellectis , frustra
nunc mihi *Vossius* *Etymon* suum *Minervae* venditet a ver-
bo antiquo *MENERVO* id est , *moneo* (etsi *Menervoo* nul-
quam invenio , sed tantum ejus compositum *promenervat* pro
monet , quod ex *Saliari carmine* assert *Festus*) frustra , in-
quam ; nam potius verbum *Menervoo* est a dea factum ; post-
quam nimirum illa etiam machinis & ingeniosis artificibus
praeesse , & sapientiae dea haberi coepta fuit . Huic vero opi-
nioni quid ansam praebuerit , audacter dicam , *Gen. Cap. IV.*
cum *Jabele* tentorium & artis pastoritiae , *Tubalcainq* artis
ferrariae , & *Jubale* artis musicae inventoribus , jungitur vers.
22. נָדָב נָאָמָה *Naama* , quam ex eo , quia cum illis inventoribus
nectitur , suae invento caruisse negant , sique propterea lanifi-
cium vulgo attribunt , & ex ea *Palladem* sive *Minervam*
suam ethnicos deformasse (ut ex *Tubalcainq* *Vulcanum* &c.)
praedicant . Atque haec quidem , quas de *Naama* jactitant ,
tum demum paullo verisimiliora putavi , cum animadverti ,
hanc *Graecis* *Νοῦμα* appellatam , Nam , quia *Νοῦμα* (sive *Νοῦ-*
μα , quod *intelligentiam* notat) *Minervam* fuisse putarunt ;

Tom. II.

H h

ex

ex ea causa hanc & ex Jovis cerebro propagatam (quod Jovis puerperium in celeberrima Etrusca patera vivis lineamentis exprimitur) sunt commenti, & eandem artibus, scientiisque praesidere voluerunt, & illam ex נַאמָאב, *Naamah*, vōnquā h. e. *intelligentiam* transnominarunt. Ac de Minerva fati.

MVLCIBER (inquit Festus) *Vulcanus*, a *mulcendo* scilicet ferro dictus. Vide & Servium (1). Non inepta etymologia, si quidem id nomen Latinum sit. At veteres, ut sit potius Tyrrenicum: nec tantum id terminatio in R & prima vocalis V (qui sunt Etruscarum vocum usitatissimi characteres) subindicat; verum etiam quod re vera Vulcanus numen Etruscum fuerit, ut ex iis constabit, quae infra in *Vulcanus* docebimus. Verum undenam nomen hoc deducemus? De *Moloch* Ammonitarum deo scio multas vulgatas esse opiniones, dum alii illum Saturno, alii Mercurio, aut Veneri, aut Marti, Mithrae, Soli respondisse contendunt. At si viros doctos nihil horum, quae in valle Jopet fieri vulgo dicebantur, (puta incendia, fornaces, strepitus tympanorum, ignis tantus, ut *Gebenna* inde nomen traxerit) permovet, ut de Vulcanis cogitarent; at nomen saltem n̄ tantis eos adducere debuisset, ut ad *Mulciberum* converterent animum. Dicent fortasse rō *Moloch* cum prioribus duabus *Mulciberi* syllabis convenire: quid ultima fiet? Est ne compositum nomen ex MVLCHI & בִּיר, *beer*, i. e. *fovea*, *puteus*? Quasi vero Tusci Puteolos incolentes, aut circa Vesuvium, ea loca cum valle Molochi comparantes, appellarint *Molochi vallem* seu *Puteum*; id quod orientali sermone *Mulciber* dicebatur; ac deinde nihil praeius, quam ut loci nomen in deum ipsum, qui his locis ignitis omnibus (ut Aetnae, Vulcanis insulis &c.) praeesse ferebatur, transfusum fuerit. Antequam hinc abeo: fuere qui Tuscos ἀνθρωποθυσίας infimularent. E quidem non is sum, qui nobilem populum onerare crimine

tana

(1) Servius ad VIII. 724. *Mulciber Vulcanus ab eo quod totum ignis permulcet: aut quod ipse mulctatus pedes sit, sicuti quibusdam videtur; aut quod igne mulctetur.*

Adde Donatum in Vossio; qui tamen vir doctissimus Servii locum ignoravit; quem ideo adscribendum duxi.

tanto gestiam. Verum si qua ejusmodi labes in ea natione residebat; potuit a sacrificiis Molocho oblati manare, ac similes hostias Tuscorum Mulciber appetivisse.

NORTIA five *Nurria* Volsinienſium peculiare nomen erat. Ac videbatur olim a נורא, *nura*, quod Chaldaeis *ignem* significat, deduci; si probari posset, tantumdē Volsinienſibus fuiſſe Nortiam, quod Romae Vesta. Verum hac omiſſa interpretatione parum arridente, illud potius arripiamus, quod appoſite ad illud Juvenalis X. 74. *Si Norria Tuſco* (h. e. Sejano) *faviſſet*: adnotat Scholiaſtes: *Fortunam valè intelligi*. Imo non aliud ex Juvenale ipſo colligitur, apud quem ſequitur: *Hac ipſa Sejanum diceret hora Auguſtum*. Si, inquit, Tuſcorum fortuna populari ſuo Sejano faviſſet; is illico imperator ſalutatus fuiſſet. Quid quod eadem Norria etiam Martiano Capellae dicitur aperte *Sors* (ſive potius *Fors*) *Fortuna*. Non eſt ergo dubium, quin *Nortia* plane eadem, ac *Fors Fortuna* fuerit, auctoribus Juvenale & Martiano Capella. Nunc videndum de veriloquio. Mihi quidem non alia quaerenda videtur deae iſtius εὐνομίης (eaeque ſecundum analogiae tramites) quam a Chaldaeo Syroque verbo נר נרא *jerat*: ſic enim Chaldaei, (ex conſueta ſcilicet apud eos mutatione נר Sin in Tau) uſurpant pro Hebraeo נר נרא *jaras*. Vtrumque vero verbum ad hereditates & poſſeſſiones pertinet, quaſi ſcilicet fortuna arbitratu ſuo largitur, & aufert. Et quidem Hebraeum verbum ſicuti in *Kal* ſignificat *hereditatem adire, poſſidere*, ſic in *Hiphal* נר נרא *horis*, modo eſt *poſſidendum dare*, modo ejus contrarium, nimirum *poſſeſſione expellere ac pauperem facere*. Eadem ſignificationis εὐαλλάγειν in *Niphal* reperitur. Nam נר נרא *noras* (id vero, ultimâ Chaldaice in Tau mutatâ eſſet *Norat*) plerumque exorbitat a ſignificatione primitiva, ac ſignificat *pauperem fieri*. Ergo aptiſſime ab eo verbo (ſed uti dixi more Chaldaico cum Tau finali) fit **NORTIA** i. e. *Fortuna*, quae nunc ſuo ditat depauperatque. Illud neſcio, cur praeterieram, quod idem Tertullianus, qui recte in II. ad Nation. 8. *Volsinienſium Nortiam* memorat, tamen Apolog. Cap. 24. Volsinienſibus **NVRSIAM**, Surrinis

NORTIAM tribuat. Sed utut est; utriusque certe vocabell (quorum unum ab altero non nisi dialecto differt) idem prorsus est etymon; quia quod Hebraei verbum cum *Sin* usurpant, idem Chaldaica dialecto cum *Tau* scribitur, uti supra demonstravimus. Antequam hinc abeo: in Fortunae Antiatis instrumento ponit Horatius I. Od. 35. *Clavos trabales*. Quod mirer, ni ex eo sit ortum, quia *Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae comparere*, ex Cincio scripserit Livius lib. VII. Hinc, inquam, fortassis factum, ut etiam inter Antiatinae Fortunae symbola clavi exhiberentur: cuius rei originem qui nescirent, id ad *ἐπερῃας* deae hujus significationes traducebant: id quod scopo suo serviens Horatius sequitur. Quamquam ceteroqui quid de hoc Horatii loco sentirem, scripsi copiosius in Spicilegio Biblico in Dissert. quadam de ΑΝΑΓΚΗ ad Luc. XXI. 23. Nunc autem haec mitto, quia nolo hunc lectorem morari diutius.

NUMENTINVS Atheniensium deus fuit, teste Tertuliano tum in Apol. Cap. 24. tum in II. ad Nat. 8. Verum utrobique *Atinensium* esse legendum, praestare audeo. Hoc vero dixit pro *Atinatum*; quemadmodum utrobique DELVENTINVS *Casiniensium* (pro *Casinatium*) deus dicitur. Nec enim alios, nisi Italicos deos ibi Septimius memorat. Ergo Atinatum h. e. Tuscorum Campaniae deus fuit *Numentinus*, qui a נאמן *neeman* h. e. *fidelis* deduci debet adhibito V Tuscanico. At *Delventinus* Casinatium unde sit, ignoro. Si a verbo Heb. דלה *dala* deduxeris, possit significare *Aquarii* signum; quod Arabice (si fides Kirkero sit in Oedip. To. II. par. 2. pag. 199.) *Dulion*, seu *duluwon* nuncupatur. Fides sit penes auctorem.

PALES rusticorum dea videtur eadem atque *Ancaria* fuisse. Ac duo fortasse fuerint ejusdem deae nomina. Utut est: at certe PALES & numen Tuscum videtur fuisse (dicente Servio ad Aen. II. 325. *Tusci Penates Cererem, Palem, & Fortunam dicunt*) & praeterea nomen Syriacum sese prodit, ut animadvertit Bochartus pag. 733. 68. Syriacum פלחא

pa-

palacha (seu Syra pronuntiatione *paloch*) agricolam designat. Item Chaldaeis פֹּלֶחַ, *poleah* est rusticus, agricultor : de quo vide Buxtorfium in Lex. Chald. Postremo notabile est, quod observat Servius ad III. Geor. Hanc (Palem) Virgilius genere feminino appellat. Alii, inter quos Varro, masculino genere, ut hic *Pales*. Revera Syriacum nomen supra adscriptum mas est: at quia effertur formâ emphaticâ, praefertur femini- ni vocabuli speciem: hinc illa diversitas generum apud Lati- nos orta.

PENATES qui dii sint, & unde adveſti, piget de eo veterum opiniones ex Servio & aliis referre. At certe & Tu- ſci de Penatibus jaſtabant opiniones ſuas (ut ex Servii ver- bis modo in PALES adſcriptis poteſt intelligi, & ex iis quae affert de Demarathi Corinthii filio ad II. Aen. 296.) qui ſi- bi eos ſine controverſia vindicabant. Totum ergo hoc deo- rum Penatum negotium per Etruſcos ab Oriente manavit, tum nomen ſcilicet tum & res ipſa. Nam PENATES ſunt ab Heb. פְּנִימִית, *penimet* h.e. *interius* ſive *penetræle*, cujus plu- rale פְּנִימִיּוֹת, *penimior* h.e. *penetrælia*: ex eo, inquam, abla- to *Mam* intermedio, ſiunt *Penates*; quos dictos exiſtimat Ci- cero in II. de Nat. deor. 67. ab eo quod PENITVS INSI- DENT, ex quo etiam PENETRALES a Poëtis vocantur. Sic etiam Seneca Thebaid. 340.

Ferte arma: facibus perite penetrælos deos. quos nempe Graeci ſimiliter θεῶν πυκίων vocitabant, ut ob- ſervat Spanhemius in *de Veſta & Prytanibus*. Hinc Veſta (quam unam ex diis Penatibus volunt fuiſſe) Ciceroni ibi- dem dicitur *Cuſtos rerum intimarum*. Adde illa Servii ad Aen. III. 12. *Qui ideo PENATES appellantur, quod in penetra- libus aedium caeli ſedeant: nam & ipſum penetræle PENVS dicitur, ut bodie quoque VESTAE CLAUDI vel APERIRI dicitur*. Ex his vides, non tantum nomen ab Oriente eſſe, ſed & rem ipſam: nam tota haec *Penatum* religio ex Ta- bernaculi Iſraëlitici interiore penetræli prodiit. Adde hoc etiam, quod ſicuti in ſanctius illud Hebraeorum adytum ne- mini praeter Sacerdotem patebat aditus; ſic (teſte Servio

III. Aen. 12.) Penates, nisi Sacerdoti, videre fas nulli fuit. Adhaec quod (Penates) de Lavinio translati Romam, bis in locum suum redierint, teste ibidem Servio; id Artam redeuntem ab hostibus, juvencis iter suum sponte ingressis, adumbrat. Postremo, quod eorum (Penatum) nomina nemo sciat, ut adnotat ibidem Servius; id quoque ex eo fluxit, quod Dei nomen περαιοράμματος illud sanctius & Judaeis ἀρρητον ineffabile haberetur.

Atque haec de Penatum etymo dicta valebunt eatenus, si prima vocabuli littera P fuerit. Dubitamus ne, inquis? At, inquam, iniecit mihi dubitationem non quivis de trivio, sed Dionysius Halic. (vir quantus!) qui Δ initio nominis hujus palam inscriptum fateretur in I. Antiq. p. 55. 'Εν δὲ τῷ (χαρὶς) κείνῳ τῶν Τρωϊκῶν θεῶν εἰκότι, ἅπασι ἰστέον, ΔΕΝΑΣ (1), ἐπιγραφὴ ἐκείνου, ἡν δὲ τῶν πρὸς Πενάτας &c. In eo loco (is vero locus Τριδίας, sub Quiridis Romae dicebatur teste Dionysio) posita sunt Trojanorum deorum imagines; quas cuius fas est inspicere, cum inscriptione DENAS, quae Penates significat: videntur enim mihi prisci ante inventum P usurpasse pro eo D. litteram. Sunt autem basati duo juvenes habitu sedentium, admodum antiqui operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum deorum simulacra conspeximus, & in omnibus duos juvenes militari habitu. Porro quae hic Dionysius de P nondum reperto a Latinis ait, iis haud facile assentior; cum eā litterā, quod sciam, gens litterata nulla tempore ullo caruerit. Neque vero eos deos fuisse DENATES cum quarta littera apud Trojanos (unde ablata simulacra) appellatos mihi persuadeo, cum ea vox ita scripta nihil prorsus Hebraice, nihil Chaldaice, ceterisque linguis Orientis notet. Magis crediderim Δ illud ita fuisse scriptum, ut Π antiquum imitaretur. Imo potius (quid enim dissimulo?) ea Inscriptio Latialibus priscis, non vero Graecis litteris scripta fuit. Aut si scalptra Graecis litteris erat, non nisi Jonicis illis antiquis signata fuit, quae fuerint eadem ferme cum iis, quae Graecis,

(1) In Sylburgii Notis scribitur, Gelenium vertisse, cum inscriptione Cujacium maluisse Δινατας: item Denates.

cis, Latinisque antiquitus in usu erant. Itaque τῶ D & τῶ S Graecorum antiquissimi juxta cum Latinis utebantur. Potuit etiam prima littera (ut ibi detorta erat) non ad quartam Alphabeti pertinere, sed ad *Pe*. Aliam in Sylvis Phalegiis (Tom.I. Spicileg. Biblici, ubi de DODANIM fusissime agitur) attuli conjecturam, ut *Dodanim* illi Dardaniae Troicae conditores apud Trojanos inter deos relati, atque abjecta primore syllaba DENATES pro DODENATES vocati fuerint; ii vero in Latio postea PENATES fuerint appellati. Haecenus vacasse conjecturis liceat.

POLLUCES. Vide supra in CASTOR.

POMONA Tuscis PVEMVNE videtur dicta, ut observabimus Diatr. X. ad Tab. Iguvin. l. 3. ubi & ejus nominis orientalis etymologia ostendetur.

RHEA (eadem quae *Terra*) est a Chaldaeo ארץ, *Arca* h. e. *terra*, per ἀρῆς primoris vocalis factum: de quo vide dicta Diatr. VII. §. i. in *Oenarea*.

SATVRNVS a שַׁטַר *Satar*, quod est *latere*, dictus fuit, (ut omnes norunt) & ab eo regio *Saturnia* dicta, quae & Latine *Latium* appellata, ob *latentem* ibi deum, quo ille *Arma Jovis fugiens* profugerat: unde *Latiumque vocari maluit, his quoniam larisset tutus in oris*, ut Poëta canit.

SELVANVS dicebatur aequè Etruscos is, qui scribitur ab Latinis *Silvanus* aut *Sylvanus*: nempe id agentibus ut Latinum hujus Dei nomen, a *silvis* seu *sylvis* deflectum videatur. At priorem illam fuisse veram ac primitivam nominis scripturam, testis mihi sit Musei Etrusci Goriani Tab. XX. in qua dei cujusdam incogniti epigraphæ, litteris perscripta Tuscanicis, definit in hunc modum SELVAN. Qui certe Latinorum *Silvanus* est, ac nomen suum ab oriente habet; nam Hebraicum שְׁלוֹה *shalva* est *salus* aut *tranquillitas*, & שְׁלֵו *shaleu* est *salvus* itemque *tranquillus*. Ergo sicuti *Salveo*, *Salvus*, *Salus*, (de quibus alibi) ex Hebraicae originis indicio pro Tuscis habenda videntur, ita multo plus SELVANVS deus ille, qui in saxo Etrusco signatur. Hinc quoties in veteribus titulis *Silvano* tribuitur τῶ SALVTARIS ad-

adjunctum, id non tam pro epitheto, quam pro interpreta-
mento Tusci nominis *Selvan* habendum reor. At posterius
Latium quia Tyrrhenicum *Selvani* nomen a sylvis deductum
putavit, idcirco mutata vocali prima, *Silvanum* saepius, &
interdum *Sylvanum* vocavit, eumque ad habitandas sylvas
amandavit.

TAGES haruspicianae ceteraeque omnis Tuscanicae di-
vinationis repertor, *quum terra araretur* (ut est apud Cic. in
II. de Div.) *& sulcus altius fuisset impressus, existisse ro-*
pente fertur puerili specie visus, sed senili fuisse pruden-
tia, & quae porro ibi affert Tullius. Quo commen-
to id mihi praefere voluisse videntur Tyrrheni, se
αὐτόχθονας esse, id quod postea secutus est Dionysius. Ve-
rum quaecunque sub ejus fabulae involucri significatio la-
teat; vox certe TAGES congruam ejus ortui, aut repertis
ab eo disciplinis notionem complecti debuit. Et tamen inter
tot etyma orientalia, quae afferre possim, quodnam aliis prae-
feram, animi pendeo. Estne ab Heb. גָּזַר *sagar* (quod va-
riante dialecto *tagar* diceretur, quippe Chaldaeis טִּי Sin in
Tau permutantibus) quod *emissionem*, sive *ferum* significat ?
nempe propter *deum exaratum*, uti ibidem loquitur M. Cicero,
Deinde a גִּזְרִין *gestrin*, (quod *haruspices* Chaldaeis notat)
abjecta posteriore syllaba, & praeposito *Tau* servili, fieri ea
vox potuit. Potuit & ab Heb. גָּזַר *saga* (id quod Chaldaei,
quibus sollemne est טִּי Sin in *Tau* commutare dicerent גָּזַר
taga) fieri; quod verbum praeter tritam illam *errandi* no-
tionem, miras alias significantias obtinet, veluti *canendi* seu
*varicinand*i, unde גִּזְגִּיזִין *siggajon* (& variante dialecto *riggajon*)
odae seu *cantici* genus est. Aut vero a Chald. ejusdem soni
verbo גָּזַר *sega*, quod & גָּזַר *rega* scribitur; sed hoc *errare*
interpretantur, illud *narrare* aut *loqui*, quum tamen eae si-
gnificationes sint cognatae, mutuoque confertae; quia sermo
erraticus est, & ex una re ad aliam longe diversam mobilis
volubilisque: ex quo intelligitur cur Hebraicum גָּזַר *saga* sit
& *errare* & *canere* & *varicinari*, ut modo innuimus. Tages
autem statim atque exaratus a bubulco fuit, fertur cum affatu

est,

esse qui arabat; quumque ad eum tota convenisset Etruria, tum cum plura locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, litterisque mandaverint: ut Cicero ibidem. Postremo ab Heb. ידאג *jadag* (nam *Ain* saepissime per G redditur, ut in Gaza, Gomorrha &c.) sicuti efficitur productior vox ידעוני, *iddegoni*, quod *bariolum*, *baruspicem*, & quocumque divinos notat, sic abjecta de more prima littera quiescente oriri ἀναλογικῶς debuit vox דאג *dag*: in qua deinde voce Tusci pro D, durius elementum T suo more posuerunt. Ergo verisimilius hinc demum existit Tuscum TAG, & addita conveniente terminatione TAGES; qui scilicet propter reperitam universam divinandi disciplinam, *divinatoris* sibi nomen quaesivit. A Tagete vero BACCHETIS (dubium an a posteris pro deo habitus) minime est sejungendus. Fulgentius lib. de vocibus antiquis in LABEO scripsit Etruscam disciplinam libris quindecim complexum esse Labeonem, quae *Volumina Tagetis* & *Bacchetidis* appellaverit. Ipsum BACCHETIDIS nomen sermone Chaldaeo *doctum* ac *peritum* significat: de quo vide Buxtorfii Lex. Chald.

TINA aut TINIA Jovis nomen est, quomodo in Etruscis pateris in Gorii Museo Etrusco, & alibi, Tyrrhenicis elementis perscribitur. Id quidem volunt ex Latino *Tonans* detortum esse. Id si ita sit, erit vox ex Latino facta. At equidem non video, quin potius possit esse sive ex Heb. יצאן *taan* (quod etiam Chaldaice est *transfigere*, *perfodere*, *vulnerare*, ut TINIA sit Jupiter FVLMINATOR, ea enim sunt arma Jovis, quibus noxios ulciscitur) sive a Chaldaeo Syroque verbo תנן *tenan*, quod est *fumare*; unde idem *tenan* etiam *fumum* significat; & certe Fulmina fumo non carebant, unde eo ambusti nigrescebant. Postremo verum etymon est ab Arab. تنن, i.e. *tinnivit*, *sonuit*. Cum autem & BYGOE & ELICIVS Arabicas etymologias habeant, nihil mirum si TINA (quod etiam ad rem tonitrualem, ut illa duo, pertinet) ab Arabico verbo fiat. Vide Diatr. IX. in TONO. Ceterum quin Latinum TONANDI verbum ex Tusco TINIA (undecumque hoc arcessatur) sit factum, equidem non

Tom. II.

I i

du-

dubito, qui sciam tonitrualem disciplinam (utique & voces eo pertinentes) totam ex Tyrrhenia existisse. At illud heic est notandum, in Etruscis apud Gorium monumentis non tantum Jovi, sed & Baccho subscribi illud TINIA: vide Cl. Gorium pag. 106. Optime hoc quidem; nam non ab uno Jove *Manubiae* erant, sed ab aliis etiam diis. Vide Diatr. IX. §. 3. in MANVBIAE. Fortasse etiam Minerva *tonatrix* erat, eique erant suae *manubiae*. Hinc quia TINA Tuscis dicebatur; propterea postea a Graecis eadem ΑΘΗΝΑ *Athēna* vocata fuit. Tyrrhenos Athenis aliquando fuisse, ex Thucydide discimus.

TYPHON venti exitialis nomen est, haud dubie Tyrrhenicum; quippe ex Homero liquet, Typhonem gigantem Inarimae Tyrrhenorum insulae fuisse suppositum; etsi alii poëtae, uti fit, monti Aetnae substernunt. Atqui Tyrrheni loca istiusmodi primitus incoluerunt: & Αῤῥίμους vocem fuisse Tuscam, qua *simiae* (quibus *Inarime* scatebat) notabantur, jampridem erudite Bochartus ostendit. Nec equidem dubito, quin Typhonis gigantis fabula ex *Typhone* flatu aquilonari omnium violentissimo fluxerit. Ipsa vox Hebraea תַּפְחֹן *taphon* i. e. *Aquilo*, non aliud a Typhone vento est, uti copiose disputavi in Dissertationis ad Il. XIV. 4. parte altera, §. 1. Ac *Typhon* ventus est a verbo תַּפַּח *taphon*, quod est *flare*; unde *Typhon* ventorum princeps. De quibus videre licebit nostram de *Vento Typhonico* Dissertat. ad Act. XXVII. 14.

VALENTIAM Tyrrhenorum fuisse deam ex eo constat; quia Ocriculorum (1) municipale numen erat. Ocriculum autem Tuscorum oppidum fuisse, testatur Stephanus his verbis: Ὀκρίκολα πόλις Τυρρηνῶν, *Ocricola urbs Tuscorum*; quia

(1) Meminit hujus deae marmor Ocriculi repertum, quod avertit Grut. pag. 2. num. 12. in hunc modum: Pro . salute . itus . ac . reditus . D . N . Sanctissimi . Ti . Aug . aediculam . Concilii . deorum . dearumque . Aurelius . Faustus . prot . (i . e . protector) divini . lateris . Aug . N . ex . visu DEAI . VALENTIAE . S . P . F . C .

Hanc eandem epigraphen ubi recitat set Montfauconius V. C. (To. 2. *Supplem. Antiquit. Illustr.* pag. 112.) haec subjecit: Quae Dea Valentia nescio an alibi uspiam memorata occurrat. At Tertulliano Apolog. cap. 24. inter deos municipales OCRICVLANORVM VALENTIA diserte memoratur.

quia nempe Tusci olim Umbriam etiam tenuerunt. Quocirca videamus, quid VALENTIAE nomen significat. Clamabunt hinc statim omnes, *Valentiae* nomen, si quod aliud, putum putum Latinum esse, cui Graecum *ῥώμη* respondeat. Addent fortasse & Solini verba initio sui Polyhistoris, ubi ait ex aliquorum opinione, quam urbem *antea Valentiam dicebat juventus Latina*, eandem Romam (*ῥώμη*) *servatā scil. significatione impositā prius nominis*, ab Evandro appellatam. Verum hae merae sunt fabulae: nam ROMA unde sit vocata, alibi dicitur. At si VALENTIA eadem quae ROMA, cur in Urbe aeterna, cur in cetero orbe Romano, per quem deae *Romae* religio multa erat propagata, altum de dea VALENTIA silentium? Ac prorsus frustra sunt, siqui sunt, qui deam hanc Tuscam Oriculanam cum dea *Roma* confundunt; aut vero si qui sunt, qui ejusdem *Valentiae* nomen originis Latinae credunt; quod est mere Tyrrhenicum, idemque ab Oriente arcessendum. Vide infra in BALNEVM: inde disces *balneum* nomen Etruscum idemque orientale esse Chaldaeis, Syris, Arabibus usitatissimum. Ab eadem ergo rad. *בָּלַן*, *balan*, unde *balneis* nomen est (adscito *Tau* formativo, & addita terminatione Latina), fit BALENTIA, sive *Valentia*, quam deam *balneis* praefuisse non dubito. In rudibus Oriculanis hodieque thermarum plurima vestigia visuntur; quarum etiam inscriptio illa meminit a Cluverio pag. 640. recitata, quae talis est: *Iuliae . Luciliae . L . Iulj . Iuliani . fil . patroni . municipj . cujus . pater . THERMAS . O-GRICOLANIS . a . solo . constructas , dona . decur . Aug . pleps . D . D . D .*

VERTVMNVS (sive ut alibi legitur VORTVMNVS (nam VERTO verbum antiquitus VORTO scribebatur) Varroni (1) Propertioque deus Tuscus erat. Ac si Propertium

I i 2

au-

(1) Hinc Varro in IV. de L.L. (ed. Amst. pag. 14.) ab eis (Tuscis qui cum Caelio Vibenna Romam venerant) dictus *Vicus Tuscus*, & ideo ibi *Vortumnus* stare quod is *Deus Etruriae*. Idem deus apud Propertium

IV. el. 2. sic loquitur: *Tuscus ego ex Tuscis orior; nec poenitet inter Praetia Volsinios. deseruisse focos. Infra: At tu Roma meis tribuisti praemia Tuscis, Unde hodie Vici nomina Tuscus habet.*

audimus, is facile a *vertendo* (1) nomen obtinuit; nimirum Tiberi amne (2) *verso*, vel a fructibus *vertentis* anni, vel quod ei natura sit, quam decore in omnes figuras *vertat*. Donatus nomen derivavit a rebus bene vel male *vertentibus*. Postremo omnium optime Asconius a *vertendis* mercibus nomen derivavit, eumque deum mercaturae fecit; qui ad illud Ciceronis Verr. III. *A signo Vertumni ad Circum maximum* sic adnotat: *Signum Vortumni in ultimo Vico Turario est, sub basilicae angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem. Vortumnus autem deus invertendarum rerum est, idest mercaturae*. Cur Asconio magis, quam Propertio credam, illud facit, quod poeta exornandae elegiae causa potuit plura illa comminisci, quae dicit: at Asconius *historica* fide ac diligentia, Vertumnus mercaturae deum esse prodidit; nec ideo minus a *vertendo* nomen affecutum, quia mercatura in mercibus pretio aut alia merce *invertendis* universa occupatur. Hinc *versuram facere*, mercaturae locutio est. Festus: *VERSVRAM facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quod... mutuabantur... ut aliis solverent, velut VERTERENT creditorem*: de quo vide & Donatum ad Phormionem. Ergo hic mercaturae deus a *vertendis* mercibus nomen sibi quaesierit. At mirabitur aliquis, quid causae fuerit, ut deo Tulco nomen Latinum fuerit. An postquam is deus civitate Romana donatus fuit, simul ei Latinum nomen impositum, quod Tusci interpretamentum esset? An vero VERTVMNVS vox est priore sui parte Latina, posteriore Tuscanica, quemadmodum & in VOLSGRA & in VADIMON (de quibus vide locis suis) accidit? quorum omnium pars prior tantum uno sermone designat, quantum altero posterior. Ergo in

VER-

(1) Propertius ibidem: *Vertumnus verso dicor ab amne deus, Seu quia vertentis fructum percepimus anni*. Infra de se narrans Vertumnus ait: *Tu modo crede deo: Opportuna mea est cunctis natura figuris: In quamcumque voles, verte, decorus ero*. Post plura. *At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit*. Quasi vero verbum *Verto*

Etruscum sit (ait enim: *Nomen patria lingua dedit*) quod tamen Latinum esse tantisper credemus, dum Tuscum esse aliquis doceat.

(2) De amne *verso* praeter Propertium, testatur etiam Servius ad VIII. 90. *Hac enim* (ubi ficus Riminalis) *lahebatur* (Tiberis) *antequam Vertumno factis Sacrificiis avtereretur*.

VERTVMNVS pars prior est a *vertendis* mercibus, quibus deus ille praeerat; pars vero altera MNVS eandem notionem praeferret sermone Tusco & Orientali. Nam Heb. מנה *mana* & Chald. מנה, *mena* sive *Mna* est proprium mercaturae verbum, quod est *numerare*, *supputare*, *ponderare*; ex quo verbo fit מנה *mane* i.e. *mina*, *libra*, *pondo* & alia nomina ad commercium pertinentia. Apud Tuscos, utpote θαλασσοκρατῆντας mercatura vigeat, cui proinde deus ille praeerat.




VESTA non tantum re, sed & nomine, orientalem religionem sapit, nec nisi a Tuscis illam Numam accepisse crediderim. VESTA est ipsum Chald. אש *esta* i.e. *ignis*, sed littera Aleph conversa in Digamma, Aeolum more. Sic etiam Graecorum Ἑστία *focus* ab ead. Chaldaea voce manavit.

VOLCANVS numen Tuscum haberi dicitur Scaligero ad Varronem (nam apud eum id non reperi) ac merito: nam eum PVPLVNA id est *Populonia* in suis nummis exhibebat: vide Diatr.VII. §. 2. Nomen est a *Tubalcaino* (Gen. IV. 22.) contractum; quod jam antea viri eruditi perviderunt.


VOLTA monstri Tuscum nomen est apud Plinium. Vide priorem orientalem radicem sequentis nominis.

VOLTVMNA utrum sit a Chald. verbo בלט *velat* id est *eminere*, an potius a Syro בלתי *velati*, quod *Venerem* significat; haud habeo dicere: nam de dea hac non novi aliud, nisi quod, teste Livio, ad ejus fanum concilia gentis haberentur. Interim dum alius certiora indicaverit; ego *Voltumnæ* vocem ab Syro *Velati* mutatis vocalibus, & additis in fine servilibus, factum dicam; nec aliud esse quam *Venerem*; quam a Tuscis impense cultam, plura ejus apud Gorium simulacra argumento sunt.









EK N : T D I R I I I
 M E R K N U C N
 Z U K D N : : A R E
 E N : M I I D N :
 H : Z I M D N :



EXTRACTION
DE LA BIBLIOTHÈQUE
DE LA VILLE DE LYON
PAR
M. L. L. L. L.
COURTÈS

